Ex libris Doctoris Eyrautier

[illegible]

JOANNES STEPHANUS

BONACOSSA

A CASALGRASSO

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ

DOCTOR

AMPLISSIMI MEDICORUM COLLEGII

CANDIDATUS

IN REGIO TAURINENSI ATHENÆO

ANNO MDCCCXXXV,
DIE III JUNII, HORA VIII CUM DIMID. MATUT.

Facta cuilibet a sexto argumentandi facultate.

TAURINI
EX TYPOGRAPHIA FAVALE.

EX PHYSIOLOGIA.

DE

CEREBRI FUNCTIONIBUS

ADUMBRATIO.

I.

Cerebrum, massa nervea, duabus substantiis conflata, tribus membranis obtecta, majorem constituens encephali portionem, quae in cranii cavo contenta, totam istius anteriorem, ac superiorem partem, a foveis occipitalibus superioribus ad frontem usque, et cerebelli tentorium occupat, atque ad apicem medullae spinalis in omnibus vertebratis animantibus posita reperitur.

II. Organum istud, quod superius a plica durae matris, magna falx dicta, usque ad corpus callosum producta, in duas aequales partes, haemisphaeria nuncupatas, dividitur, in superficie plures exhibet eminentias et sulcos, qui ad ejus

basim profundiores facti in tres lobos ipsum distinguunt, quorum anterior processibus orbitalibus ossis frontalis innititur, medius crassior mediis cranii foveis reconditur, posterior vero cerebelli tentorio, atque foveis occipitalibus superioribus aptatur.

III. Quae autem conspiciuntur in ejus superficie prominentiae atque circuitiones, ob analogiam formae, quam cum intestinorum gyris praeseferunt, processus enteroïdei a *Malacarne* primum etiam dictae, a binis, quibus tota cerebri componitur massa, substantiis efficiuntur, ex alba scilicet, et corticali, vel cinerea etiam nominata, atque amplitudine, profunditate, figura et numero variant non solum in diversis hominibus, sed in uno eodemque ejusdem cerebri hemisphaerio. Etenim vero illae, quae superius in lobo anteriori, et posteriori reperiuntur, parviores, sed numero majores sunt, ad latera grandiores, inferius lateralibus, et superioribus magis constantes et regulares: nec omnes simul etiam evolvuntur. Superiores enim, anteriores, ac posteriores inferioribus, ac lateralibus, brutis etiam communibus tardius manifestantur, atque perficiuntur. Istae autem in brutis minores numero, longitudinales magis, et regulares sunt; imo, docente *Vimont*, pro generis ad quod pertinent similitudine, ac va-

rietate easdem etiam similitudines offerunt, ac diversitates *1.

Illarum tandem prominentiarum internae partes variis modis inter se communicantes directe, vel indirecte ad centrum concurrunt, nodus encephali, vel commune sensorium ab anatomicis, atque physiologis generatim dictum, ibique cum fibris, sive a cerebello, sive a variis nervorum apparatibus huc etiam pervenientibus simul communicant, atque decussantur.

IV. Interim non est cur dicamus investigationes nostras prae caeteris praestantissimum hoc viscus promereri, quod nos soli homines tollimus vultu ad sydera erecto, quodque sive quum vix prima idiomatum rudimenta cognoscimus, vel quum audaciori ingenio omnia naturae phoenomena pervestigare tentamus, aut ad eam demum perducti sumus aetatem, qua ineluctabili fato jam labentibus annis denuo hebescimus, omni verbo nostrae vitae periodo ad illius fere divini, quo instructi sumus, spiritus,

*1 Système de phrénol. humaine et comp. — Hoc magnificum opus, cui sociantur centum et viginti tabulae, cum aliis libris de vesaniis agentibus, extat in R. Manicomii archiviis. Istius enim humanissimi Rectores dum ad infelicium aegrotantium levamen totis viribus suis intendunt, ne aliquid medicis ex parte sua deficiat satagunt, ut cum ipsis utiliter ad tam nobilem finem etiam concurrere possint.

vim metiendam est dicatum. Verum quamvis per tot omnium temporum, tum praesertim nostri aevi philosophorum, atque anatomicorum indagines ipsius structura, atque functiones magis dignoscuntur, eo tamen nondum pervenimus, ut circa illius agendi modum tot clar. virorum controversiae sint tandem omnes definitae.

V. Hanc quum videamus rei gravitatem, atque difficultatem de illius functionibus nunc disceptaturi, ne opus aggrediamur, quod inde perficere haud valeant vires, unam tantummodo, nec parum gravem, et aleae plenam quod ad ipsum quaestionem agitabimus.

Utrum scilicet in facultatum intellectualium et affectivarum exercitio, et manifestatione totum, et indistincte illis consocietur, an pro ipsarum varietate, variae, et distinctae partes in ipso etiam ad agendum adhibeantur: illam idcirco doctrinam ex parte expendendam nobis proponimus, quae nomine a *Spurzheim* indito phrenologia nunc appellatur.

Quum vero in hac disquisitione de facultatum intellectualium et propensionum, vel proclivitatum organis sermo esse debeat, ne quid injusti nobis tribuatur *1, dum quod intra

*1 Error in his omnibus systematibus praecipuus, et maxime praecavendus ille esset, quo cerebrum constitueretur tamquam

physiologiae limites non continetur, aut sanctissimis viris non est probatum, haud dicere profitemur, sub illorum nomine instrumenta, per quae tam externae, quam internae impressiones ad animam perveniunt, nec non ipsius facultates manifestantur, et quibusdam modis affici possunt intelligere declaramus *1.

VI. En igitur praecipua fundamenta, quibus haec plurium organorum doctrina struatur, et illius veritas, vel saltem probabilitas demonstrari possit:

1.° Organa, quibus facultates intellectuales, et morales exercentur, et manifestantur, congenita sunt.

causa efficiens cogitationis, quum solum uti quoddam instrumentum habendum sit, quo animus utitur, ut acquirat ideas rerum sensibilium (*).

Abbà elem. logic. et metaph. p. 205 in nota.

(*) *Au reste se servir d'instrument ne préjudicie point à l'immortalité de l'ame, car Dieu s'en sert bien, et y accommode ses actions: et comme selon la diversité de l'air, région et climat, Dieu produit hommes fort divers en esprit et suffisance naturelle . . . . . , aussi l'esprit selon la diversité des dispositions organiques, des instrumens corporels, raisonne mieux ou moins, or l'instrument de l'ame raisonnable c'est le cerveau.*

Charron de la Sagesse, Chap. 1.er *p:* 292.

*1 J'appelle un organe la condition matérielle qui rend possible l'exercice ou la manifestation d'une faculté: d'après cette définition, l'on conçoit qu'aucun exercice de faculté n'est possible sans organe, mais que l'organe peut exister sans que la faculté à laquelle il est affecté soit mise en exercice. — Gall sur les fonct. du cerv. t. 1, p. 292.

2.° Ipsae absque organis manifestari non possunt.

3.° Cerebrum est sedes omnium proclivitatum, sensuum, et facultatum.

VII. Nunc autem quin ad doctrinae originem investigandam aut varia percurramus philosophorum placita, qui cum *Empedocle*, *Leucippo*, *Democrito*, omnia naturae phoenomena molecularum affinitate, et mutua earum actione explicare solebant, aut quae ab *Alberto Magno*, *Petro Montagnana*, *Lodovico Dolci*, *Villis*, aliisque fuerunt excogitata *1, illam magis aperte a *Bonnet* *2 enunciatam videmus.

Ipse enim sparsim tradit, quin anatomes secreta edocti simus, compertum saltem generatim esse cerebrum organum sistere valdopere

*1 Albertus Magnus caput delineavit ut diversarum facultatum sedem disponere posset, posuitque sensum communem in fronte, cogitationem aut judicium in ventriculis lateralibus, memoriam et vim motricem in tertio. *Petrus Montagnana* anno 1491 similem edidit descriptionem, in qua assignavit cellulam unicuique facultati, atque enumeravit cellulam sensus communis, cellulam imaginativam, cellulam aestimativam aut cogitativam, unam memorativam, alteramque rationalem. *Lodov. Dolci* non solum admiserat pluralitatem organorum cerebralium, sed eorum sedem indicaverat. *Willis* affirmabat corpora striata esse sedem perceptionis, massam medullarem cerebri illam memoriae et imaginationis, etc. V. Andres Stor. dell' origine e progressi di ogni letterat. t. VI. — Georget physiol. du systèm. nerv. p. 125, t. I.

*2 Palingenes. t. I. p. 334.
Contempl. de la nat. p. 223, t. I.
Id. p. 225.

compositum, aut potius plurium diversorum organorum complexum: nostras sensationes varii generis ad varias fibras pertinere: cum anima non amplius agit in fibras, in quas agebat, tensionem imminui, et languescere, quam ipsis comparavit: a multiplici observatione confirmatum satis esse cupiditates, omnesque nostras affectiones, et ideas sedem physicam in corpore habere, ac esse totidem parvulos sensus peculiares, qui proprio agendi modo gaudent, quorumque officium est perceptiones ipsarum actioni respondentes in animam excitare.

VIII. Hisce superius expositis *1, atque argumentis partim ex anatome, partim ex physiologia, sed quamplurimum ab empirica observatione deductis, sub novitatis *2 specie, atque multo etiam ampliatam suam de organis cerebralibus doctrinam, quam Cranioscopiam appellant, *Gall* enunciavit. Istis autem, quae paucis complectemur, ipsam probare, atque tueri conatur.

1.° Facultates intellectuales, et qualitates morales manifestantur, adaugentur, imminuun-

*1 On pourrait même croire en consultant les ouvrages de ce dernier (Bonnet) qui précéda Gall, que notre philosophe n'a fait que l'application de ses principes. Vimont op. cit. p. 55.

*2 Gall n'a fait que renouveler une idée qui avait déja été conçue, mais il l'a rendue neuve par les développemens qu'il lui a donnés. Adelon Physiol. de l'homme t. 1, p. 562.

tur pari passu, ac earum organa evolvuntur roborantur, atque labefactantur.

2.° Quum evolutio organorum facultatum intellectualium, et qualitatum moralium ordinem communem gradatim non sequitur, manifestatio functionum istorum organorum a regulari norma etiam discedit.

3.° Si evolutio, atque perfectio organorum cerebralium perfecta haud fuerit, manifestatio facultatum ipsis respondentium pariter erit imperfecta.

4.° Quum organa spiritus, et animi summum gradum incrementi et perfectionis contigerint, haec organa functiones suas maxima vi manifestandi facultatem etiam acquirunt.

5.° Nullo alio modo potest explicari, nisi a varia sexuum organica compage, quomodo nonnullae facultates majori vi polleant in masculis, et aliae in foeminis.

6.° Quum cerebri structura in variis individuis similis est, proclivitates, et ingenium similia sunt, quamvis differat in toto corpore, et vicissim.

7.° Quando physica constitutio a patre ad filios transmittitur, isti eadem proportione illius facultates participant.

8.° Facultates animantium eo numero majores sunt, quo magis complicatum est eorum cerebrum.

9.° Analogia, quae adest inter cerebri, et aliorum nerveorum systematum structuram probat cerebrum compositum esse pluribus organis.

10. In omnibus corporibus organicis phoenomena diversa pendent ex apparatibus diversis; ergo etiam variae cerebri functiones.

11. Facultates, quae in eodem individuo reperiuntur, nunquam omnes eumdem vis gradum praeseferunt.

12. Diutinae mentis contentiones omnes illius facultates aequaliter haud fatigant; laborem enim continuare illa potest dummodo ejus occupationis objectum mutetur.

13. Denique facultates intellectuales, et morales separatim post morbum aut vulnus capitis, etc. imminui, excitari possunt, reliquis aliis intactis perstantibus.

Istarum facultatum, quae primitivae dici possunt, viginti septem a *Gall* enumerantur; quas tales esse demonstrare nititur ob necessitatem, quam probare aggreditur, uniuscujusque facultatis, quam primitivam appellat, cuique organum speciale in cerebro assignat.

Statuit inde unamquamque ejusmodi esse, quum omnibus animantibus haud sit communis, quum ipsa aequalis non sit aliis facultatibus, quas animans jam possidet, et quotiescumque

suimet ipsius gradus incrementi aut decrementi ab aliis distinctos sequatur, atque si morbo affici sola possit aut exerceri.

Hinc constituens 1.° unum ex elementis vigoris functionis esse incrementum illius organi: 2.° organa cerebralia terminare, atque dividi in cerebri peripheria: 3.° cranium a cerebro formam accipere, ipsiusque esse veram imaginem, argumentatur posse ab ejus extispicio cerebri, et organorum statum saepissime dignosci *1.

IX. Illud tamen haud silentio praetereundum, dum ad hujus doctrinae veritatem confirmandam, atque observationibus roborandam cum apud *Gallos*, tum apud *Britannos*, et novi hemisphaerii medicarum scientiarum et aliarum artium cultores quamplurimae institutae enumerantur societates *2, a non minus doctis

*1 Numerum, nomen, et positionem istorum organorum, atque illa, quae *Spurzheim* addidit brevitatis, et perspicuitatis gratia in quatuor iconibus exponemus cum distributione, et denominatione a D.re *Sarlandière* (Journ. de la Société phrénol. t. 1.er, 1834, 4.e trim.) propositis. Hisce adjungemus recentissimae inventionis craniometrum, quod nobis humanissime communicavit ejus auctor, Sacerdos *Petrus Marcus Giacoma*, Borgari Taurinensis paroeciae Praepositus. Hunc ingeniosissimum et probissimum virum conterraneum et amicum dicere plurimi facimus et laetamur. — V. tab.

*2 The phrenologic. journal and miscellany. Edimb. 1831. George Combe elemens of the phrenology. — Journ. de la Soc. phrén. de Paris, t. 1.er, Musée des famill. p. 45 et 85.

viris ad ipsam expugnandam aut saltem infirmandam haud parvi momenti argumenta, et difficultates uno eodemque tempore etiam opponi.

X. Praecipua ex iis, quae nobis cognita sunt, si ea excipiamus, qnae ab illis produci possunt, qui post *Aristotelem* cum *Locke*, *Condillac*, *Helvetio*, nil in intellectu esse statuentes, quod prius non fuerit in sensu, asseverant:

Nos cinq sens imparfaits donnés par la nature
De nos biens, de nos maux sont l'unique mesure *1.

Uti et quae a *Darwin* contra instinctum sunt enunciata, atque illa tandem, quae post *Bichat*, *Cabanis*, etc. circa passionum sedem a *Virey*, *Lamark*, etc. etiam excogitata fuerunt, sequentibus continentur.

1.° Opponunt partem hominis nobiliorem, qua super omnia animantia longe excellit, nullam sedem habere, nec characterem, nec signum sensibus nostris pervium praeseferre, modum igitur, et sedem operationum suarum cultrum anatomicum, tactum, visum, et omnia auxilia physicae disquisitionis effugere.

2.° Quum structura cerebri haud sit ab anatomicis cognita, atque ipsis arcanum semper

*1 Voltaire. — Animadvertere lubet, haud nos istius poëtae versuum adamussim sensum probare. Immo bonum malumque morale ex libero animi hominis arbitrio unice non demetiri valde improbamus, qui sui compos attamen sit, proutque est homo operetur. D. Th. 1, 2, q. 6 a. 1 in corp. et passim.

esse debeat, nec ejus functiones ideo posse determinari.

3.° Donec cognitae sint functiones glandulae pituitariae, infundibuli, eminentiarum mamillarium, glandulae pinealis, nullum systema de cerebri functionibus, quod saltem probabile sit, posse unquam excogitari.

4.° Cerebrum, et cerebellum iisdem substantiis composita esse, eadem vasa sanguinea accipere, similes ergo etiam esse debere ipsorum functiones.

5.° Nullum discrimen inter sapientis, et idiotae cerebrum reperiri, diversitatem igitur facultatum intellectualium inter ingeniosum hominem, atque imbecillem ab illo minime posse pendere.

6.° In doctrina *pluralitatis organorum* ipsa veluti distincta in cerebro haberi, at nullas distinctas, nullas dissimiles partes, nullam organorum cerebri separationem in ipso posse observari, cerebri structuram uno verbo omnimodo contrarium docere.

7.° Destrui posse portionem cerebri insignem, quin manifesta imminutio in facultatibus intellectualibus observetur.

8.° Destructionem ejusdem portionis cerebri earumdem intellectualium facultatum abolitionem secum haud trahere.

9.° Concludunt denique alteram alterius cerebri partem posse inter se vices gerere, totam cerebri massam indistincte in omnibus animae operationibus semper agere, nec varia organa ipsi tribuere esse necessarium.

XI. Istis a *Moreschi* *1, *Malacarne* *2, *Cuvier*, *Portal* *3, *Berard de Montegre* *4, *Delpit* *5, *Reydellet* *6, *Tupper* *7, *Jourdan* *8, *Antommarchi* *9, *Burrows* *10, *Boisseau* *11, *Gioja* *12, *Lelut* *13, etc. propositis alias tamen addere oportebit sententias a gravissimis viris circa hanc cerebralis physiologiae partem inde enunciatas, illasque breviter enarrare.

Georget *14 quamvis principium *pluralitatis* facultatum et organorum admittat, observat tamen quamplurimas adhuc opponi dif-

*1 Sul sistema cranioscop. Bologna 1806.
*2 Mem. inser. nel l. XIV Soc. ital. delle Scienze.
*3 Rapport à l'Institut.
*4 Dict. des Scienc. med. t. VII, p. 318.
*5 Id. t. 38, p. 258.
*6 Id. t. 41, p. 580.
*7 Inquiry into Gall's syst. p. 52.
*8 Disc. prélim. à l'anat. de Tiedmann p. 41.
*9 Mém. sur Napol. t. 2, p. 29.
*10 Comment. into the causes and treatement of insan., p. 325.
*11 Nosogr. organ. t. 4, p. 463.
*12 Merit. e ricompense t. 1, p. 575.
*13 Gazette méd. n.° 24 - 26 - 29 - 35 - 47, 1834. - Samedi 28 mars 1835.
*14 Physiol. du systèm. nerv. t. 1, p. 135.

ficultates, quarum resolutionem nec ipse *Gall* unquam dedit. Quomodo nam, ait, omnes istae facultates ejusmodi inter se commercium alunt, ut plures eodem tempore agant, quemadmodum in minimis etiam intellectualibus operationibus contingere debet? Quomodo nam aliae ab aliis ad invicem cognitiones mutuantur, quae uniuscujusque propriae sunt, uti fiat oportet quod ad metaphysicum, poeticum sensum?

Tiedmann *1 etsi haud cum *Gall* circa varias anatomicas opiniones consentiens, attamen putat veritatem generatim acceptam, et cognitam esse, actiones animantium eo numerosiores fieri prout ipsamet animantia cerebrum efferunt structura magis complicatum. Dubitari nequit, inquit ipse, quin habeatur in animantibus perfecta consensio, intimus nexus inter eorum intelligentiae actus et partium encephali structuram.

Rolando, cujus nomen et recordationem donec erimus venerabimur, etiamsi invictissimis argumentis demonstraverit a laesis aliquo modo hemisphaeriis cerebralibus, inertiam, imbecillitatem, stuporem statim supervenire *2, nec alio modo posse explicari melancholias, nisi per specialem laesionem alicujus apparatus massae

*1 Anat. du cerv. p. 5.

*2 Sagg. sulla vera strutt. del cerv., 1828, Tor. t. 2, p. 225.

cerebralis, qui ad hoc functionis genus destinatus sit *1, nilominus affirmat *2 nullam adesse necessitudinem inter veram cerebri structuram, et hypotheticam doctrinam cranioscopicam.

Mekel *3 considerans,

1.° Partes inferiores cerebri in omnibus vertebratis animantibus reperiri;

2.° Illas haud notabiles varietates in diversis animantibus exhibere;

3.° Ex observationibus constare quo magis perfectae conspiciuntur facultates intellectuales in serie animalium, atque in variis individuis ejusdem speciei, massam cerebralem adaugeri superius, anterius, et ad latera ampliari hemisphaeria, habita proportione ad partes encephali, et cerebrum proprie dictum majus volumen adipisci comparatum cum cerebello, haud inverisimile esse putat varias animae facultates varia organa in cerebro habere, sed difficillimum esse istarum sedem determinare: affirmari tamen posse, organa ordinis secundarii in partibus inferioribus, et posterioribus cerebri posita esse, nobilioria autem ad anteriores, et superiores pertinere.

*1 Id. p. id., et anat. physiol. de cerebr.
*2 Sagg. sulla vera strutt. del cerv., 1828, Tor. t. 2, p. 4.
*3 Anat., trad. ital. t. 1, p. 257.

Adelon *1, *Broussais* *2, *Richerand* *3 videntur aliqua tamen mutatione *pluralitatem* organorum cerebri admittere, eandem interim adducendo difficultatem a *Georget* propositam.

Clar. Prof. *Martini* ingeniorum varietatem ex singularium sentientium cerebri organorum praestantia manare sane non discrepare credit *4; sed alibi tradit necessum non esse tot organa admittere, quot sunt instinctus varietates apparentes, uti ratus est *Gall*, vel saltem observationem non demonstrare hanc tantam organorum varietatem, nec necessariam esse ad phoenomena explicanda: sufficere etiam varium sentiendi modum, et talem diversitatem intimae organicae structurae, propter quam varii motus absolvi possint. Caeterum non reluctatur tot esse varietates in intimis textubus, atque in fibris intimis. Affirmat tantum ipsas nec probatas esse, nec necessarias *5.

Bellingeri *6 in duas partes cerebrum dividit, superiorem nempe, atque inferiorem; pro superiore scilicet parte habet illam, quae

*1 Physiol. t. 1, p. 573.
*2 De l'irrit. et de la fol. p. 470.
*3 Physiol., 10.e ed. t. 2, p. 404.
*4 De cultu ingen. p. 20.
*5 Lezioni di fisiol. t. 11, p. 435.
*6 Antagonismo nervoso p. 50.

super laterales ventriculos reperitur, corpore calloso etiam comprehenso, atque istam ad nobiliorum animi functionum exercitium, quales sunt perceptio, ratiocinatio, judicium, atque voluntas, destinatam; inferiorem autem ad vitam sensiferam, et motricem animalem, aut voluntariam speciatim dicatam considerat.

Foville *1, et *Pinel-Grand-Champ*, quibus adstipulari videtur *Richerand*, autumant substantiam corticalem cerebri ad tam nobilium facultatum exercitium statutam esse.

Raspail *2 asserit doctrinam *pluralitatis* organorum cerebri omnibus syllogismi conditionibus roboratam esse, at aliter de ipsorum in cerebro positione, et agendi modo sentit.

Pinel Scipio *3 dicit *pluralitatem* organorum cerebri non ob aliam caussam erroneam factam fuisse, nisi ob quam ejus auctor observatione abutens ipsam nimium extendendo in systema redigere voluit.

XII. Ex hac opinione porro, quae semper invaluit cerebrum esse sedem facultatum intellectualium, factum hinc est, ut in ipso etiam omnibus temporibus quaesita fuerit caussa di-

*1 Dictionn. de méd. et de chirurg. prat. art. Encéphale.

*2 Nouveau syst. de chim. organ. Paris 1833 p. 223 et seq.

*3 Physiol. de l'homme aliéné appl. à l'analyse de l'homme social, p. 19 et seq.

versitatis istarum quod ad earundem vires, et perfectionem.

Quapropter, excepto *Malacarne*, qui a numero, et profunditate lamellarum cerebelli ingeniorum, et facultatum intellectualium qualitatem, et gradum deduxit, alii id arguerunt cerebri volumen cum toto corpore, alii cum nervis, aut medulla spinali, alii denique cum medulla oblongata, et cerebello ipsum comparando. Perpendens vero *Desmoulins* *1 in nonnullis animantibus, illa habita ratione, cerebrum antecellere, in quibus tamen non adeo perfectae sunt facultates intellectuales, falsam demonstravit istam *Soemmering*, *Alex. Monrò*, *Ebel*, *Cuvier* sententiam, et in alia conditione reponendam esse varietatis intellectus caussam docuit; in majori scilicet superficiei cerebri extensione. Clar. Prof. *Martini* dum observat hanc opinionem jam a *Magendie* anno 1816 enunciatam fuisse, concedit ingeniorum perspicaciam pendere posse a numero, et profunditate *plicarum* encephali, et speciatim cerebri, sed hanc nec unicam conditionem, nec praecipuam esse putat, vimque communis sensorii, atque perfectam harmoniam apparatuum sensuum symmetricorum tam externorum, quam internorum summopere ad ipsam conferre.

*1 Journ. complém. du dict. des scienc. méd., t. 15.

Meneghini arbitratur evolutionem facultatum intellectualium, earumque gradum esse in ratione directa evolutionis, et profunditatis circuitionum. Hemisphaeriorum nempe cerebralium superficiem plicatam, et circumvolutam apud hominem respondere perfectissimo functionum intellectualium exercitio *1.

XIII. Tradita sic, etiamsi imperfecte, opinionum serie, quae circa quaestionem versantur, de qua agere statuimus, eo nobis perventum est, ut ad hujusce dissertationis finem absolvendum, quid de hac tam ardua, et totius naturae sublimiori parte sentiamus, pronunciandum sit.

Haerebat equidem anceps animus in hoc eligendo themate: selegimus tamen: ex officii enim caussa quum de vesaniis pertractare nobis aptius esset, nullam saltem probabilem theoriam dari posse de istis credidimus, nisi prius nonnulla de cerebri functionibus principia fuissent statuta. Considerantes insuper, etsi propius ad psychologiam examen phoenomenorum intellectualium spectat, expendere autem quousque animae operationes, quum ipsa agit, a corporis dispositione, ejus structura, et viribus pendeant: quem influxum variae functiones in ipsam exerceant; quae tandem inter animae

*1 Dissertat. inaug. de axe cerebro-spinal. Patavii 1834.

operationes, et cerebri, nervorum, et organorum sensuum structuram adsint relationes ad physiologiam pertinere, magis etiam fidenter disputationem inivimus.

XIV. At singulas auctorum sententias ne singillatim ad examen revocemus, quaedam dumtaxat praemittemus, ut possimus ex iis, quae ad rem faciant, corollaria deducere. Superius enim monuimus, ut *pluralitatis* organorum cerebri veritas, aut maxima probabilitas demonstrari possit, haec tria ponere oportere; scilicet,

1.° Organa, quibus facultates intellectuales, et morales exercentur, atque manifestantur, congenita esse.

2.° Ipsas absque organis manifestari non posse.

3.° Cerebrum esse sedem omnium proclivitatum, sensuum, et facultatum.

Haec igitur principia statuere necessum erit antequam ad *pluralitatis* organorum discussionem veniamus.

XV. In accessibus maniae acutae mirabili modo adaugeri facultates intellectuales observatio adeo antiqua est, ut jam *Demetrius* [1] εκτασιν, mentis extensionem ipsos appellaverit, atque *Aretaeus* etiam idem in nonnullis homi-

[1] Mattey, Maladies de l'esprit, p. 198.

nibus observans dixerit, *astronomiam agnoscunt sine magistro, videtur musas ipsos invasisse, poeticam quoque veluti a musis infusam norunt.*

Vanswieten de foemina enarrat, quae in accessibus maniae maximam, et singularem facilitatem acquirebat carmina condendi, tametsi nunquam prius intellectum excoluisset, atque rudibus, et muliebribus operibus fuisset solummodo assueta.

Buffon historiam refert praesbiteri, qui cum delirio correptus fuisset, accessus tempore, ingenii facultates quamplurimas demonstravit, de quibus ne ullum indicium antea praebuerat; adeo enim imitationis facultas in illo manifesta, et potens facta fuerat, ut quin unquam haematitem pertractavisset, perfecte delinearet, atque imitaretur objectum quodcumque vidisset. Hujus phoenomeni exemplum habuimus in juvene agricola annorum vigintiseptem in R. Manicomio recepto, mense aprilis 1832: is enim mania laborabat, et quamvis inquietissimus, quaecumque verba proferre audiebat, quoscumque gestus ab adstantibus factos vidisset, repetere solebat, et coactus erat: imo jam sanatum, postquam domum rediisset, per aliquot dies, minori tamen modo, aliorum verba et motus adhuc imitatum fuisse scivimus.

Frank Joseph *1 de juvene cataleptica tradit, quae in accessibus, quamquam in musicis haud versata, cantum emittebat poetico quodam afflatu, et metro insignitum. Alia hujusmodi referunt *Robert*, *Whytt*, *Lorry*, *Sauvages*, *Pomme*, *Tissot*, *Zimmermann*, etc.

Post ictus capitis, et vulnera novas facultates manifestari historia *P. Mabillon*, et *Cornelii a Lapide* nobis probat.

Haller *2 refert de idiota, qui cum capite vulneratus fuisset, donec vulnus apertum perstitit, ingeniosus factus fuit, et denuo ad imbecillitatem rediit ipso sanato.

Nec per morbos solum haec phoenomena locum habere posse ex historia etiam edocemur.

Pascal, *Michael Angelus*, *Mozart*, *Vaucauson*, *Haller*, *Demostenes*, *Turenna*, *Cato*, *Themistocles*, ab infantili aetate illius ingenii documenta dederunt, per quod nunc in immortalitatis templo eorum nomina splendent. *Homerus*, *Milton*, *Socrates*, *Plato*, *Galileus*, *Newton*, *Baco*, *Leibnitz*, *Descartes*, *Bossuet* ejusmodi sunt, quos natura *3 fere dicam ambitiosa, vastissima, ac mirabili mente donavit, ut saeculis infinitae ejus po-

*1 Prax. med. univ. t. 2, part. 2, p. 90.
*2 Physiol. t. 4, p. 195.
*3 Natura est Deus. Newton.

tentiae manifestissimum argumentum suppeditaret.

Atqui si absque praevia educatione facultates manifestantur, et absque organis istae exerceri haud possunt (hoc enim non est cur probemus), consequitur facultatum animae organa congenita esse.

XVI. Ad nostram enucleandam sententiam ulterius progredientes in auxilium etiam vocare lubet idiotismum, maniam, et dementiam.

Idiotismus, plus minusve perfecta abolitio functionum intellectualium, et affectionum cordis *1, vel totus, aut partialis defectus facultatum affectivarum, et manifestationis facultatum intellectualium congenitarum, et acquisitarum passim *2 ab auctoribus definitur.

Mania in exaggeratione facultatum intellectualium, et aliquando perturbatione affectivarum, agitationi, aut furori consociata, est posita: dementia in imminutione plus minus extensa intellectualium facultatum consistit.

Nunc autem idiotismus frequentissime a

*1 Pinel - Traité méd. phil. sur l'alién. ment. p. 181.

*2 Fodéré traité du délire t. 1, p. 419.
Spurzheim obs. sur la fol. p. 201.
Esquirol dict. des scienc. méd. t. 23, p. 507.
Georget de la fol. p. 102.
Martinet manuel de cliniq. méd. p. 282.
Ferrarese delle malatt. della mente vol. 2, p. 62. — ecc.

vitiis cranii, et cerebri pendet *1: frontis enim depressio, circuitiones cerebrales parvissimae, parum profundae, et frequentius ad lobos anteriores vitiatae, seri infarctus, deficiens aut abnormis cerebri evolutio pro ejus caussis agnoscuntur.

Mania, et dementia a manifesta membranarum, et plicarum cerebri laesione saepissime per cadaverum autopsias revelata *2 proficiscuntur. Igitur si idiotismus, qui reponitur in defectu absoluto, aut partiali facultatum intellectualium, atque affectivarum; si mania, et dementia, quae distinguuntur ab exaggeratione, vel labefactatione aut jactura dictarum facultatum a cerebri vitiis progignuntur; eruere est in cerebro istarum organa sedere.

XVII. Fundamenta pro cerebri organorum

*1 Presque toujours le crâne et le cerveau des idiots offre des vices de conformation plus ou moins remarquables. Esquirol dict. des scienc. méd. t. 23, p. 521.

Willis anat. cerebr. c. 26.

Andral précis d'anat. pathol. t. 2, part. 2, p. 781.

Arch. génér. de méd., August. 1834.

Gazette méd. n.o 48, t. 2, 1834.

Richerand t. 2, p. 435.

*2 Morgagni de sed. et caus. morb. epist. VII, VIII. Meckel anat. descrit. e patol. fasc. XII, p. 471. Voisin des caus. physiq. et moral. de l'alién. ment. p. 346 et seq. Andral op. cit. part. 2. Boisseau nosogr. organ. t. IV, p. 536 et seq. Trompeo prospetto statist. del R.o Manicomio di Torino p. 30. Bertolini prospetto statist. id. id. p. 115, quae et nos maxima ex parte cum ipso observavimus.

pluralitate jam posuimus, nunc rationum momenta praecipua, quibus hanc doctrinam fulciri censemus, subdimus, et sunt,

1.° Fibrosa cerebri structura, varius fibrarum expansionis modus ad cerebri peripheriam, unde varia plicarum amplitudo, profunditas et numerus in diversis cerebri partibus, earumque haud contemporanea evolutio aut perfectio, ex *Vicq-d'Azyr*, *Cuvier*, *Gall*, *Meckel*, *Tiedmann*, *Serres*, *Rolando* et *Vimont* sententia.

2.° Facultatum intellectualium et affectivarum in homine gradata manifestatio, earumque varii gradus in variis ejusdem hominis aetatibus.

3.° Partialis vel omnimoda memoriae jactura post ictum capitis, apoplexiam, congestiones, aliosque cerebrales morbos, reliquis facultatibus integris permanentibus ex *Boerrhaave* *1, *Haller* *2, *Gall* *3, *Serres* *4, *Bouillaud* *5, *Martini* *6, *Vimont* *7, *Diariis phraenologico* *8, *et medico Parisiensibus* *9.

*1 Morb. nerv. p. 697.
*2 Physiol. t. 4, p. 212.
*3 Sur les fonct. du cerv. t. 5.
*4 Anat. comp. du cerv. t. 2.
*5 Arch. de méd. t. 8. Id. traité de l'encéphalite, etc.
*6 Lezioni di fisiol. t. 3, p. 484.
*7 Op. cit. p. 285.
*8 Trimestr. 1.er
*9 N.° 27, 1834, etc.

4.° Vocabulorum memoria et etiam personarum, absque facultate ideas comparandi in infantia, et imbecillitate.

5.° Exaggeratio partialis alicujus propensionis, vel facultatis cum serie idearum ipsi respondente, caeteris aliis saepe sanis perstantibus, uti in morbis quos vocant *monomanias*, inter quas

A. *Erotica.*

Tutti son qui prigion gli dei di Varro,
E di lacciuoli innumerabil carco
Vien Giove catenato innanzi al carro. *1

B. *Homicida.*

Amidst the woods the leopard knows his kind
The tiger preys not on the tiger brood,
Man only is the common foe of man. *2
L'uom sol distrugge l'uom, entro le selve
Senton tra lor pietà le ingorde belve.

C. *Nostalgica.*

Sternitur, et dulces moriens reminiscitur Argos. *3
Combien j'ai douce souvenance
Du joli lieu de ma naissance.
. . . .
Oh! qui me rendra mon Hélène,
Et ma montagne et le grand chêne.
Leur souvenir fait tous les jours
Ma peine:
Mon pays sera mes amours
Toujours. *4

*1 Petrarca, Trionfo d'amore.
*2 Caleb. William Godwing.
*3 Virgil.
*4 Chateaubr. Montagnard.

D. *Klopemania*, effrenis scilicet res habendi cupido, extremus illorum affectionis gradus,

In cui usa avarizia il suo soperchio *1

6.° Monomaniae in maniam, et vicissim istius in illam conversio, sicuti in recidivis saepissime eiusdem idearum seriei dominatio, quae in primo accessu praevaluerat.

7.° Propensionum in eodem homine varietas.

Néron, bourreau de Rome, en était l'histrion. *2

8.° Animi concitatio ex earum oppositione.

Odi et amo *3
. . . Odio ed amore
Or mi acciecan del pari. *4

Hanc etiam depictam elegantissimis istis legimus:

Come orsa che l' alpestre cacciatore
Nella pietrosa tana assalita abbia,

*1 Dante. Adeo evolutam et insuperabilem hanc propensionem nobis etiam datum fuit observare in homine annos quadraginta quinque nato ob delirium superstitiosum cum ambitione et furore sociatum in Manicomio accepto mense aprilis 1830, ut iste dum jam manibus per coriaceam manicam cohiberetur, quia patinas, scutellas, vestes, omnia uno verbo aliis aegrotantibus auferebat, ut in sua straminea culcitra absconderet, dentibus nihilominus, utpote altus persona, suspensas lampades, aliaque utensilia adhuc arriperet nulla alia ratione nisi ad explendam necessitatem qua incessanter torquebatur furandi.

*2 Delille.

*3 Catullus.

*4 Alfieri, Sofonisba act. 2.°

Sta sopra i figli con incerto core,
E freme in suono di pietà e di rabbia:
Ira la invita e natural furore
A spiegar l'ugne e a insanguinar le labbia;
Amor la intenerisce, e la ritira
A riguardare ai figli in mezzo l'ira. *1

9.° Morum et indolis aegrotantium in insaniae aggressione omnimoda interdum mutatio, adeo ut Hercules meticulosus factus, et quae prius castissima docilisque puella in furibundam bacchantem videatur conversa. *Dei quali traviamenti in nessun' altra maniera forse si può intendere la ragione, se non col supporre vera la dottrina di quel moderno filosofo, che da certi organi speciali del cervello derivava le inclinazioni.* *2

XVIII. Quamobrem, ut ex nuper dictis patet, multa sunt argumenta, quae ex physiologia et pathologia deducta, de organorum cerebri *pluralitate* nos suadeant: anatomes etiam nil contrarium nos docet. Utrum autem necessum minime sit tot admittere organa, quot sunt instinctus varietates, ut scite animadvertit clar.

*1 Ariosto, cant. 19, stanz. 7.

*2 Botta, Storia d'Ital. sino al 1789 48.° libr. — Ita porro, ut, si propensiones hujusmodi a cerebri organis non omnino per insaniam perturbatis procedant, libero arbitrio locum relinquere; si ab organis penitus vesania mutatis, nullum prorsus nec voluntario, nec involuntario locum dari dicamus, et quidem cum Theologorum principe in 1, 2, q. 6, a. 7 ad 3, et alibi de amentibus eloquente.

Prof. *Martini*, et quot ipsa sint, nec possumus, nec audemus definire. Scimus tamen alia cum memoriae phoenomenis, alia cum illis comparationis idearum, aliaque cum facultatibus instinctivis magis stricte consociari. Caeterum, si variis externorum sensuum functionibus varia organa a natura statuta sunt, cur pro internorum diversitate diversa etiam non erunt tributa? Et sicuti *pluralitas* partium vitae organicae ejus unitati haud officit, id etiam de organis cerebralibus vitae animalis dicendum. Multa per consensum explicare solent physiologi: ast haec considerantes dum eo magis in Divinitatis admirationem rapimur, quamplurima esse concedimus quae ratio humana non assequitur, et quae demisso capite nos ignorare fatemur: attamen, *doit-on se refuser à admettre une vérité à cause d'une difficulté qui paraît insurmontable!* *1

XIX. De organorum positione, illorumque virium caussa dicere tametsi nobis minime proposuimus, quum variae circa hanc rem etiam prolatae sint auctorum sententiae, et breviter adhuc de istis loqui debemus. Haud improbabile igitur, analogia ducta ab aliis sensuum organis, in quibus ad perficiendam sensationem periphaeria, truncus, et centralis extremitas

*1 Malebranche de l'infini créé.

concurrunt, ita et in cerebro locum habere posse videtur. Ex istis vero organis, quae cum memoria exercentur, in parte inferiori loborum anteriorum, quae cum facultate comparativa in parte superiori atque anteriori cerebri, quae cum facultatibus instinctivis denique in parte media, et posteriori locari posse omnino rationi contrarium non erit. Quapropter omnis fides cranioscopiae minime semper deneganda.

XX. Anfractuum cerebri amplitudo et profunditas ad majorem facultatum intellectualium potestatem concurrere posse cerebrum *Laplace*, *Cuvier* *1, et *Scarpa* probabile reddit. At sive a volumine, sive a figura istarum partium vis gradum unice dijudicari posse haud asserimus.

*1 L'autopsie de ce grand Naturaliste fut faite le 15 mai 1832 par MM. Orfila, Dumeril, Dupuytren, Allard, Biett, Valenciennes, Laurillard, Rousseau, Andral neveu et Bérard. L'encéphale de Cuvier fut pesé; il s'élevait à trois livres, dix onces, quatre gros et demi; il surpassait à-peu-près d'un tiers le poids des cerveaux ordinaires, et il fut constaté que cette énorme différence tenait presque exclusivement au développement des lobes cérébraux, le cervelet, la protubérance et le bulbe rachidien ne dépassant pas le volume ordinaire de ces organes dans les autres sujets. Aucune des personnes présentes, dit M. Bérard, à qui nous devons ces détails phrénologiques, n'avait mémoire d'avoir vu un cerveau aussi plissé, des circonvolutions aussi nombreuses et aussi pressées, des anfractuosités si profondes. C'était surtout à la partie antérieure et supérieure des lobes cérébraux, que cette conformation avait acquis le plus heureux développement.

Foissac, Journ. de la Société phrénol. de Paris, t. 2, n.o 79, 1833, 1.er trimestre.

Dira-t-on que le cerveau de cet homme de peine qui passe sa vie à maçonner des murs ou à porter des fardeaux, soit très-inférieur en composition et en perfectionnement à celui que possédèrent Montaigne, Bacon, Montesquieu, Fénélon, *etc. malgré la différence infinie que l'on trouve entre l'intelligence, dont ces hommes célèbres furent doués, et celle de l'homme du peuple que je viens de citer* *1 *?* At ne quid nimis. « Qui nullam diversitatem in recta fabrica » corporis nunquam sana mente usi videat et » infantis in Newtonum convalituri? Frequen- » tissimum hic mihi obversatur animo exem- » plum fatui generis hominum, quo vicina » Valesia abundat. Ii ad omne vitae humanae » officium inepti, vel in aprico sole humana » dignitate manifesto minores sessitant, vel in » lectis cubiculorum fere immoti, tota vita sua » decumbunt. *2 »

XXI. Sensuum perfectio, viscerum vitae organicae influxus, temperamentum, exercitium, educatio ad cerebralium organorum temperandam potentiam utique concurrere possunt, at non ad ipsorum mutandum agendi modum.

*1 Lamark, Nouv. dict. d'hist. naturel. art. Intelligence.
*2 Haller, Physiol. t. 4, p. 361.

L'ape è la serpe spesso
Suggon lo stesso umore,
Ma l'alimento istesso
Cangiando in lor si va.
Se della serpe in seno
Il fior si fa veleno,
In sen dell'ape il fiore
Dolce licor si fa. = *Metastasio.* Abele.

EX MEDICINA THEORICO-PRACTICA.

DE VESANIIS.

Pervestigo caussam furoris et insaniae hominum ostensurus caussam truculenti hujus adfectus valde nodosam et abstrusam esse.

Democritus ad Hippocratem. MOEBIUS.

I.

Homo, dum vitae periodum hic in terris absolvit plurimis aerumnis subjacet, quae, licet ejus exitium per se haud ciunt, millenis tamen modis ipsum fatigant. Tot vero inter hujusmodi, gravissimae existimandae illae sunt, quae a cerebri vitiis foventur, atque perturbatione intellectualium et instinctivarum functionum manifestantur, et acutum delirium si alicui febrili morbo accedant, brevique decurrant nuncupantur; vel si per diutinum tempus rationis usum perturbent, illum peculiarem constituunt morbum, qui *mania*, *insania*, *vesania*, *amentia*, *dementia*, *alienatio mentis*, *morbus mentalis*,

folie, *aliénation mentale*, *pazzia*, passim fuit ab auctoribus appellatus; de quo haec nostra dissertatio.

II. Vesaniae ac humana societas probabiliter antiquitate pares. Tam proteiformem morbum omnium aetatum medici contemplati sunt, atque ipsius phoenomena perpendentes, omnes semper obstupuerunt. *Hippocrates*, *Galenus*, *Aretaeus*, *Celsus*, *Alexander Trallianus*, *Celius Aurelianus*, *Avicenna*, *Cardanus*, *Vasquez*, *Mercurialis*, *Marcellus Donatus*, *Forestus*, *Burton*, *Zacutus Lusitanus*, *etc.* de ipsis locuti sunt, at eorum observationes, ut temporum mos ferebat, ab hypothesibus et praeconceptis opinionibus saepissime obscuratae. Sub fine autem ultimi elapsi saeculi *Chiarugi* et *Daquin* in Italia, *Crichton* et *Perfect* in Anglia, inde *Pinel* et *Esquirol* in Gallia operibus suis hanc nimium neglectam pathologiae partem illustrare ceperunt. Hisce porro temporibus pathologorum indagines frequentiores factae sunt, atque ubique scripta medica multiplicantur, quae circa istos cerebrales morbos versantur. *Haslam*, *Halliday*, *Jacquelin Dubuisson*, *Matthey*, *Fodéré*, *Dunne*, *Gall*, *Spurzheim*, *Frank Joseph*, *Georget*, *Gualandi*, *Willis*, *Falret*, *Voisin*, *Bayle*, *Calmeil*, *Barbier*, *Hoffbauer*, *Piantanida*, *Bur-*

rows, *Broussais*, *Trompeo*, *André Combe*, *Fantonetti*, *Fossati*, *Foville*, *Pinel Grand-Champ*, *Bertolini*, *Ferrarese*, *Dubois*, *Bottex*, *Pinel Scipio*, *Leuret*, *Lelut*, *Mitivié*, *Ferrus* inter alios magis speciatim de vesaniis egerunt.

III. Morbos dividere, in varias classes perspicuitatis causa tribuere, scriptorum historiae naturalis ad instar, apud medicos saepissime in more fuit. Idem etiam evenit in cerebri morbis. Verum sicuti pathologiae anatomicae progressus quod ad partes aliis vitae functionibus inservientes magis rapidi facti sunt, hinc symptomata morborum, cum viscerum vitiis comparata, nosologis argumentum praebuerunt, ut inde ipsis nomina tribuerent a natura vitii in viscere detecti, magis quam a phoenomenorum varietate deducta, dum interim in dictis cerebralibus affectionibus, perturbationis formae tantum, non laesionis visceris modo nomina indita fuerunt. Classes ideo, et genera vesaniarum innumera.

IV. *Pinel* autem ad quatuor ipsas reduxit; ad maniam nempe, melancholiam, amentiam atque idiotismum. Clar. Prof. *Martini* in ejus inaugurali dissertatione Galli nosologi divisionem amplectitur. *Esquirol* illius discipulus, ratus melancholiae nomen, quod, atram bilem significans,

falsam morbi ideam excitet, minime convenire, alterum ipsi substituendum vocabulum, monomaniam nempe proponit; caeterum ei adstipulatur. *Georget* ab iis solum differt quod idiotismum amat designare defectum congenitum facultatum intellectualium et affectivarum, stupiditatem vero acquisitum. *Broussais*, *Trompeo*, *Ferrarese* illam etiam divisionem admiserunt. *Fantonetti* sequentem excogitavit, polymaniam scilicet et holomaniam: monomaniam ab aliis tenuit; holomania delirium generale, polymania multiplex significat. *Bertolini* ista et aliis indiscriminatim utitur. *Scipio Pinel*, quam hic suis ipsis verbis transcribimus, infirmitatum intellectualium tabulam edidit *1.

*1 Physiologie de l'homme aliéné appliquée à l'analyse de l'homme social, pag. 44. Paris 1833.

RAISON

9.e dégré	RAISON. volonté et conscience saines et en action.	9.e dégré	Volonté libre: sa présence et sa force font tout l'homme.	
8.e dégré	DERAISONNEMENT *Divagatio*, *ebrietas*, quand elle résulte du vin.	8.e dégré	Le déraisonnement comprend toutes les altérations intellectuelles; mais il a peu de durée.	
7.e dégré	MANIE, FUREUR. *Delirium furens et divagans.*	7.e dégré	Exaltation de toute intelligence; volonté disparue; conscience exaltée; erreurs de toutes sensations.	
6.e dégré	MONOMANIE. Délire partiel; (*distorsio mentis.*)	6.e dégré	Intelligence pénétrante: attention trop fixée sur un sujet; volonté impuissante: conscience exagérée en mal; jugemens faux: insensibilité morale.	
5.e dégré	DÉMENCE. (*Dementia.*)	5.e dégré	Volonté inerte: *conscience désolée.* Efforts inutiles de mémoire, de jugement, d'attention.	
4.e dégré	IMBÉCILLITÉ. (*Imbecillitas.*) Débilité intellectuelle.	4.e dégré	Mémoire, attention, jugement momentanés: paroles rares; affections douces; penchans assez prononcés	
3.e dégré	BÊTISE. *Stultitia.*	3.e dégré	Perceptions et mémoires très-faibles: possibilité de parler; penchans violens.	IDIOTISME.
2.e dégré	STUPIDITÉ. *Stupiditas.*	2.e dégré	Sentimens des besoins physiques. Quelques perceptions.	IDIOTISME.
1.er dégré	ABRUTISSEMENT. (*Amentia.*)	1.er dégré	Nul sentiment des besoins physiques. Nulle perception.	IDIOTISME.

ABRUTISSEMENT.

V. *Mania.* Maniae definitiones varias ab auctoribus habemus. *Cullen* ipsam designat pro falsis conceptionibus et judiciis, quae hominem incitant ad actiones, atque ad commotiones irrationales. *Chiarugi* in insania universali audacia et furore in operationibus voluntatis comitata ipsam reponit. *Pinel* duas maniae species enumerans, unam *folie raisonnante,* vel absque delirio appellavit, alteram tanquam excitationem nervosam, vel summam agitationem, quandoque usque ad furorem ductam, cum delirio generali plus minusve manifesto, alias cum judiciis absurdis, atque confusione omnium intellectualium functionum denotavit. *Esquirol* ipsam definit delirium generale, quod circa omnes ideas et objecta versatur. *Broussais* maniam distinguens in acutam et chronicam, primam dicit esse cum, vel sine furore: in utroque casu generalem, et semper uno eodemque tempore instinctivam atque intellectualem: chronicam vero generalem aut partialem, instinctivam vel intellectualem, et saepe simul. *Ferrarese* asserens omnes auctorum maniae definitiones aliquo modo peccare, quamvis credit nullam de ipsa rectam dari posse, suam tamen et ille proponit, et maniam nuncupat alienationem mentis, cujus praecipuus character est defectus cohaerentiae co-

gitationum et volitionum cum impetu, violentia et furore, cum delirio generali, vel sine delirio, absque febre, sed cum constanti virium vitalium superexcitatione.

Monomania generatim definitur ex delirio circa unicum objectum, vel circa idearum seriem circumscriptam.

Dementiae autem, ut maniae, definitiones diversae. *Chiarugi* pro amentia habet insaniam universalem cum actionum irregularitate in functionibus intellectualibus et voluntariis, sed ex sui natura absque vehementibus commotionibus. *Pinel* dementiam nuncupat infirmitatem peculiarem operationum intellectus, atque actuum voluntatis. *Esquirol* dementiam dicit morbum qui hominem destituit facultate objecta apposite percipiendi, ipsorumque nexum efficiendi, ea nempe comparandi, cum memoriae imminutione. *Georget* ipsam statuit in generali imminutione, vel abolitione facultatum intellectualium, omnimodo ratiocinandi facultatis defectu, praeteritarum rerum oblivione, praesentium atque futurarum negligentia notata. *Martinet* eodem fere pacto designat. *Ferrarese* quam illius tradit, omnium dictarum est complexus.

VI. *Pinel Scipio* usitatam vesaniarum denominationem in istam convertere tentavit; insaniam nimirum appellat *cerebriam*, et admittit,

1.° Cerebriam [1] acutam : irritationem violentam cerebri (*mania cum furore*).

2.° Chronicam : indurationem (*dementia*, *imbecillitas*, *idiotismus*).

3.° Partialem : irritationem alicujus cerebri partis (*monomania*, *suicidium*, *mania sine delirio*).

4.° Sympathicam : reactionem viscerum in cerebrum (*hypochondriasis*, *hysteria*).

Reapse, si vocabulorum philosophica significatio ad scientiarum progressum confert, a *manie sans délire*, et monomaniae nomine parum sperandum. Nam, si ex ipsismet Gallis nosologis, mania definitur delirium generale, si delirium aberit, haud amplius mania dici poterit, nec aequior est vox monomania, quod compositum graeco fonte detortum, ut delirium partiale significaret, secum trahit adhuc absurdum *monos*, unicum, et *mania*, delirium generale. Quod de aliis denominationibus etiam dicendum, quae si contrarium non indicant, saepe ab istis nil significatur nisi phoenomenorum varietas et non morbosa conditio a qua illa pendeant. Et quidem si cephalalgiae, cephaleae, cephalitis

[1] Je donne le nom de cérébrie à la folie, à l'irritation du cerveau, réservant celui de cérébrite pour désigner l'inflammation du même organe. — Pinel, p. 119, Physiol. de l'homme aliéné, etc.

vocabula ad indicandos reliquos cerebri morbos adhiberentur, cerebrosis, cerebriae, cerebritis *1 nomina illos denotare possent, quibus facultatum intellectualium et instinctivarum aberrationes producuntur; sic ex. c. monomaniae loco cerebrosin, cerebriam, cerebritem partialem acutam vel chronicam, eroticam vel nostalgicam haberemus propius mali naturam, et non sola symptomata indicantes. Quare si philosophiae progressu errorum tenebrae fugantur, verba cum istis nata secum etiam perire debent. Faxint Nosologi ut hoc evenire possit.

Ut sylvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Horat.

VII. Insania insuper prout laetitiae et satisfactionis signis, vel timoris et moestitiae comitatur vario ab auctoribus nomine designata fuit: si cum primis chaeraphrosyne a *Swediaur*, amenomania a *Rush*, monomania ab *Esquirol*, si cum alteris melancholia, tristimania, lypemania fuit nuncupata.

*1 Cerebrosis, *irritatio*; cerebria, *superexcitatio*; cerebritis, *inflammatio*; et ne aliqua in vocabulorum virtute adsit ambiguitas, intelligimus cum clar. Prof.re Martini (Patol. gener. tom. 2, p. 114) *superexcitationis* nomine incrementum actionis vitalis (dum tamen ad verae phlogosis conditionem nondum pervenerit), et illo *irritationis* statum morbosum a superexcitatione et etiam subexcitatione diversum.

VIII. *Frank Joseph* illius omnes species in decem diduxit, quae sunt:

1.° *Mania hypochondriaca*, quae perceptionibus erroneis gravibus relate ad statum proprii corporis distinguitur; quum scilicet aegri putant se habere caput amputatum, duplicatum: illud amisisse: nasum ulnae magnitudinis: serpentes, ranas in ventre; vel se in lupos, gallinas, canes, feles credunt conversos, eorumque mores imitantur.

2.° *Mania chimera.* Aegri chimera plerumque existentiam propriam respiciente pascuntur: credunt nempe aliqui esse imperatorem, creatorem, etc.

3.° *Mania moria.* Quum aegrotantes gaudent perpetua animi hilaritate, vacant turbulento motu, etc., unde continuo ferme rident, cantillant, ludunt, tamquam omnium mortalium felicissimi: plurimi non solum sagaciter satis loquuntur, sed et errores ratiocinii ab aliis commissos corrigunt.

4.° *Mania melancholica.* Superiori toto coelo opposita. Si appareant nempe aegri tristes, morosi, meditabundi, mente circa unum potissimum objectum versante, et solitudinem quaerant, ac ad suspicionem proni sint.

5.° *Mania phantastica.* Delirio ad objecta religiosa versante insignita. Diversas istius con-

stituit species: alii diu noctuque indesinenter preces fundunt, hymnos cantant, negotia mundana, quin immo res ad vitam necessarias negligunt: alii impie plane se gerunt, imprecationes evomunt, et Deo maledicunt, nunc de futura beatitudine propria desperant, nunc cum daemonibus, sagis, spectris sibi commercium esse existimant, nunc proprium corpus excruciant.

6.° *Mania erotica.* Cogitationibus amatoriis, aut gestibus libidinosis insignita. Duplicem ista praebet varietatem. In altera aegrotans nunc amore erga mortalem diversi sexus flagrat sive imaginario, sive a se tantum viso, et a quo saepe mutuam benevolentiam nec expectare potest; nunc revera pro sibi quondam vinculis amoris connexo, verum absente, demortuo, infido. In altera ferino solum veneris desiderio ardet.

7.° *Mania saeviens.* Furore, audacia, et nisu sibi aliisque vim inferendi stipata.

8.° *Mania fatuitas.* Status in quo cunctae mentis facultates, quandoque ipsae animales inclinationes admodum fractae, et veluti paralyticae cernuntur.

9.° *Mania idiotismus.* Summum gradum fatuitatis designat, aegro aliquando brutis simili, sermone destituto, sonos minime articulatos murmurante, inerte, aut se se automatum instar movente cum risu stupido.

10.° *Mania chaos*. Ea vigente, ideae omnis generis, quin una alterave ex iis eligatur, tumultuarie sibi succedunt, seque invicem offendunt cum inquietudine vaga et gestibus proteiformibus.

IX. *Broussais* maniam chronicam partialem monomaniam dicens, istius species in duas classes distinguit, quae comprehendunt,

1.° Monomanias instinctivas, vel positas in perversione (*perversion*) instinctus et appetituum qui physici dicuntur, cum vel sine complicatione delirii. Ejusmodi sunt:

A. Perversio instinctus propriae conservationis: monomania suicida.

B. Perversio instinctus consociationis cum aliis hominibus. Exaggeratio istius instinctus delirium generat, in quo aegrotantes continuo animo anguntur, quod amatas personas videre haud possunt. A contraria autem perversione atrocitas, in destruendum voluntas, insuperabilis et saepe ab eodem aegroto exprobrata, objecta adamata torquendi aut necandi impulsio enascuntur.

C. Perversio appetitus instinctivi nutritionis. Monomania, quae ad manducandas inducit foetidas etiam, et malae qualitatis substantias.

D. Perversio appetitus instinctivi generationis. Unde monomaniae eroticae varii generis.

2.º Monomanias intellectuales, vel pendentes a perversione instinctuum moralium, et unius ideae, aut unius idearum acquisitarum seriei imperio. Idest,

A. Monomania circa satisfactionem suimet vertens. Monomania ambitiosa cum vanitate.

B. Monomania habens principium in tristitia, seu nulla suimet satisfactione (*mécontentement de soi-même*). Meritam persecutionem pati, se crimina patravisse, ista aegrotantes credunt.

C. Monomaniae laetae: quando scilicet aegri absque ambitione et vanitate hilares semper conspiciuntur.

D. Monomaniae tristes, ex quibus omnes hisce laborantes putant se iniquae persecutionis esse scopum, et damnatos ex hominum justitia.

E. Monomaniae complexae, in quibus ideae menti obversantur, nunc moestitiam, nunc gaudium, alias spem, aliquando desperationem suscitantes.

F. Monomaniae intellectuales absque dominio commotionum internarum cum dulcium, tum molestarum. Istis affecti, se in foeminas conversos, crura vitrea, ventrem papyraceum habere dijudicant, etc.

X. *Dubois* *1 inter monomanias etiam re-

*1 Hist. phylos. de l'hypocondrie et de l'hystérie. Paris 1833; et Arch. génér. de méd., 11 ser., t. 2, p. 601 et seq.

censet: 1.° Monomaniam hypochondriacam, idest aberrationem intellectus, quae circa viscerum abdominalium valetudinem versatur: 2.° Monomaniam pneumocardiacam, si aegroti in organis thorace contentis dolores accusant: 3.° Monomaniam encephaliacam, si in parte interiori cranii mala ponuntur: 4.° Monomaniam astheniacam, in qua aeger, quamvis robustissimus, de fictitia queritur debilitate, atque affirmat crura ipsum non posse sustinere, et se de die in diem deficere, etc.: 5.° Monomaniam nostalgicam: 6.° Monomaniam hydrophobicam.

XI. Quamvis ex allatis auctorum sententiis quamplurima colligere licet quae veritati consona videntur, praestat attamen observare nonnulla etiam esse quae nos impediunt quominus omnimode ipsis adhaereamus. Observamus igitur, 1.° maniam a monomania et dementia ex temporis spatio distinctionem pati minime posse, quia tam monomania, quam dementia primiter manifestari possunt, et aliquando periodum breviorem percurrere quam maniam; quocirca ut monomania mania chronica appellari posset, ejus sequela, vel illa saltem immutabiliter diuturnior esse deberet, quod plane observationi contrarium, idque etiam de dementia dicendum. Distinctionem igitur istarum a decursus tempore

ductam a *Broussais* et *Pinel Scipione* adhibitam haud admittendam esse censemus. Unaquaeque porro ex istis affectionibus ex absoluta diuturnitate acuta vel chronica dicenda erit. 2.° Si delirii generalis nomine aberratio intelligitur omnium facultatum cum intellectualium, tum instinctivarum, quae a laesione primitiva et contemporanea totius cerebri pendeat, cum illis etiam haud consentimus; utrum enim aliqua ex dictis insaniae speciebus sit dubitamus, quae sic manifestetur, atque considerari possit; ideoque inter affectiones cerebrales plus minusve extensas potius reponendas esse opinamur. 3.° Animadvertimus varias species insaniae sub maniae hypochondriacae, melancholicae, phantasticae, eroticae etc. nomine a *Frank*, atque illo monomaniae a perversione instinctus societatis cum aliis hominibus, et monomaniae tristis varii generis a *Broussais* positas, utpote a diversissimis causis pendentes, ex istis denominationibus et distinctionibus haud satis recte aberrationis originem significari. De appetituum vero anomaliis, cum quibus satyriasis, pryapismus, nymphomania nexum tenere possunt, atque de erroribus propriam respicientibus valetudinem, ne longiores simus, mentionem praeteribimus.

XII. Insaniam in species distribuere ex delirii forma atque varietate, istisque nomina as-

signare siquis tentare vellet, nisi hominum et nationum historiam simul tradat, operam contriturum fore credimus *1. Ast dum alios redarguimus, distinctionem istarum proponendi cupido tamen nos etiam cepit, ipsamque non a delirii varietate, sed a laesione organorum cerebri qua foventur petimus. Quapropter ne ab istorum accepta divisione recedamus, cerebrales affectiones, quae speciatim distinguuntur perturbatione functionum facultatum intellectualium et instinctivarum, in tres classes etiam disponimus, prout organa memoriae, aut comparationis, vel instinctuum morbo praecipue detinentur. Etenim dicimus organa memoriae laesa esse quum ipsa orbantur facultate acceptas ideas vel sensationes recordandi, vel quando ipsas, nulla accedente illis respondente extrinseca et praesenti caussa continuo menti offerunt invita etiam voluntate; quae affectio si in istis contineatur,

*1 D'abord il faut admettre nos principes généraux comme un axiome incontextable, que tous les hommes sont nés avec un germe de folie dans leur composition, et que les circonstances seules font paraître. La principale folie de l'homme de tout siècle est d'être totalement ignorant de lui-même. La folie d'un militaire est de faire croire qu'il est brave. La folie d'un médecin est de vanter ses ordonnances après la mort de son malade, tandis que le plus souvent ce sont elles qui l'ont tué. La folie d'un homme de loi est de préférer l'étude de tous les dédales de la chicane aux vrais principes de la jurisprudence, etc. — V. Dunne, de l'homme considéré dans l'état d'aliénation mentale. pag. 84. Bruxelles 1819.

tunc erit vel amnesia, cujus exempla in thesibus ex physiologia tradidimus, vel illusio, uti in somniatione saepe contingit, cujusque casus exhibent *Pascal* pontem Neuilly, atque ejus voraginem indesinenter prae oculis habens, et quamplurimi ex illis qui sub maniae moriae et melancholicae nomine a *Frank*, atque monomaniae laetae et complexae a *Broussais* recensentur.

Facultates comparativas vero tunc a regulari norma secedere autumamus quotiescumque citra sensuum externorum fallaciam et in rebus praesertim, quae illorum aciem haud effugiunt, idearum, et sensationum nexus effici, atque attributa concipi ut prius haud amplius possunt; ut saepe in mania *chaos Frank*, et monomania intellectuali (F.) *Broussais*. Ingenue enim fatemur, si aliquos vidimus qui volitare dicebant, caput dimidium amisisse, tria capita, crura vitrea habere, vel ipsis destitutos esse putabant, illos propriae existentiae fere ignaros semper cognovisse. Cogitamus insuper dictas facultates aberrare quando ideae vel sensationes quamvis disparatissimae simul connectuntur, earumque proprietates atque vis summopere exaggerantur; sicuti imagines in somniis, gigantes in mythologia, hypogriphus, cornu Adolphi in *Ariosto*, et pugnae a *Milton* descriptae. Harum

tamen affectionum varii gradus, solummodo varias ejusdem hominis vitae epochas comparando, determinari possunt. In hac autem facultatum comparationis, atque altera memoriae aberrationis specie delirium tantum adest, quum verum et praesens aestimatur quod simpliciter in memoria est atque omnino fictitium.

Instinctivae demum facultates, seu affectivae defectu etiam peccant aeque ac excessu. Defectus ex hominis officiis, excessus ab actionum *irresistibilitate*, sive necessitate, nec nisi difficillime cognoscendi. Defectus indifferentiam, apathiam moralem dictam, excessus varias necessitates impulsui dictarum facultatum consentaneas generat: plures scilicet monomaniae species; *manie sans délire*, *Pinel*.

XIII. Perturbationis modum dictarum facultatum in genere hactenus solum exhibuimus, varietates autem perturbatae memoriae praesertim et comparationis innumerae. Ex imperio tamen instinctivarum facultatum diversitates aberrationum determinatae, ut frequentius ex scriptorum observationibus etiam patet, ad sequentes reduci possunt, et sunt:

1.° Sensus vel instinctus venerationis sive theosophiae.

Immutabilis videlicet et necessaria ad ens superius directio cum omnium erga seipsum,

et erga societatem officiorum incuria. Monomania phantastica primae speciei *Frank*, et monomania superstitiosa, religiosa auctorum.

2.° Amor.

A. Personarum, sive insuperabilis et necessaria ad personas inclinatio. Monomania erotica.

B. Rerum inanimatarum. Invincibilis et necessaria res habendi cupido. Klopemania.

C. Locorum, sive regionis. Immutabile et insuperabile patriam videndi desiderium. Monomania nostalgica.

3.° Egoismus, seu amor sui.

A. Cum superbia. Erroneum scilicet de semetipso judicium, et veri praesentisque ejus socialis status oblivio. Monomania ambitiosa, quum regem, imperatorem, etc. Theomania quando Deum homo putat esse. Mania chimera *Frank*.

B. Cum timore. Omnium nempe caussarum, idearum, et sensationum sinistra interpretatio et diffidentia cum terrore. Monomaniae tristes varii generis, et daemonomania.

4.° Aversatio.

A. Cum destructione. Invincibilis, uti jam diximus, ad destruendum proclivitas. Monomamia homicida, tigridomania (Matthey).

B. Cum odio 1.° personarum, mysantropia:

2.° locorum, monomania erratica probabiliter, seu irrequieta et impossibilis in eodem loco longa permansio. Haud omnino rationi absonum etiam videtur monomaniam hydrophobicam, et lycantropiam cum istorum animantium morum imitatione, de quibus ferunt *Marcellus*, *Plinius*, *Forestus*, etc., *Pinel* et *Cabanis* maxima ex parte ab istis foveri.

Suicidium vero etsi a sola destructionis propensione in se ipsum conversa saepe gignatur, diversissimae tamen nec facile definiendae sunt caussae, quibus homines ad autochiriam aliquando impelluntur. Nam Licurgus inedia sponte perit, timens ne senex debilisque factus Lacedaemonum leges ab ipso promulgatas patriae detrimento foret mutaturus. Cato mortem mavult quam Romanae libertatis excidio superesse.

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Etnam
Insiluit.

Juvenis vidua in Malabar ne infamiae notam incurrat rogum ascendit ad conjugis defuncti exuvias consumandas paratum, et cum ipsis comburitur. Indus in Bengal sub enormis currus idolum ferentis rotis se projicit et conquassatur.

XIV. Hisce praemissis ne ab hactenus penes auctores usitata vesaniarum denominatione deflectamus, ipsas a perturbationis modo quo se

se perhibent, maniam, dementiam, atque monomaniam appellabimus; perturbationem vero intellectualium et instinctivarum facultatum memoratas affectiones constituentem, insaniae, aut vesaniae nomine in genere indicabimus.

Maniam igitur definiemus exaggerationem organorum memoriae speciatim et facultatum comparationis simul vel seorsim, exaltationi apparatus locomotoris constanter sociatam: esto ad ex. exaggeratio organorum memoriae, alias sola, alias facultates comparationis in consensum trahens, cum superexcitatione apparatus locomotioni dicati: en vociferationes, idearum successionem rapidissimam, agrypniam, agitationem, deambulationem irrequietam, etc. Mania cum agitatione *Broussais*.

Monomaniam excessum alicujus facultatis instinctivae cum serie idearum ipsi respondente.

Dementiam imminutionem et labefactationem facultatum comparationis praesertim.

Stupiditatem demum defectum fere omnium dictarum facultatum post morbum. De idiotismo sermonem haud faciemus. Monomania aliquando et dementia cum superexcitatione apparatus locomotoris concurrunt, quo casu dicemus cum agitatione. Dementia circumscripta esse potest, vel innumeros exhibere gradus, donec hominem suimet existentiae

conscientia destituat. Infinitis autem modis complicari possunt inter se dictae affectiones; at de mania tantum afferamus exemplum. Cum symptomatibus istius morbi propriis superius descriptis concipiatur invincibilis ad destruendum proclivitas, en superveniet ferina vivendi ratio: infelices aegrotantes mores tyrannicos induent, horrenda loquebuntur, vincula dilaniabunt, obvios invadent, eosque manibus, unguibus, morsibusque aggredientur; proprium caput illident, vulneraque sibi infligent. Mania saeviens *Frank*, mania cum furore auctorum.

XV. Omnes prius descriptae affectiones continuae, remittentes, atque intermittentes esse possunt.

XVI. Inter multifarias delirii species, quibus perturbatio functionis facultatum intellectualium locum praebere potest, illa etiam enumeratur, quae a recentioribus scriptoribus *febris cerebralis, delirium et mania e potu, delirium ebriositatis, erethismus ebriosorum, encephalopathie crapuleuse, delirium tremens* fuit nuncupata. Hanc infirmitatem a vino et liquoribus fermentatis produci, atque ipsi speciatim obnoxios esse qui iis abutuntur ex ipsamet denominatione elucescit. Anorexia, vomitus, extremitatum crampus, vertigines, manuum praesertim et linguae tremor, anxietas, inquietudo,

idearum confusio, et modi fere omnes qui in vino obrutis observantur, istius symptomata sistunt. Inter nuperos de ista egerunt *Young*, *Pearson*, *Armstrong*, *Blake*, *Carter* *1, *Leveillé* *2, *Neumann* *3, et *Baron* *4, qui observat descriptum morbum gastritis nomen potius mereri, atque methodum antiphlogisticam in ejus curatione utilem unice evadere. Narrat enim viginti tres aegrotos ejusmodi, quos ipse invisit et eo modo curavit, omnes sanatos fuisse. Sed ista ad affectiones cerebrales acutas cum delirio magis quam ad chronicas, de quibus disserimus, propius pertinere posse videtur.

XVII. Signa prodroma, vel stadii incubationis insaniae in genere sunt: physionomiae peculiaris conditio, attentionis volubilitas, inclinationes extraordinariae, sympathiae et antipathiae frequentes, suspicio nullo fundamento instructa, transitus rapidus a moerore ad gaudium, a gaudio ad moerorem, inertia, gestus abnormes, soliloquia frequentia, propensio ad res mirabiles, molimina mercatoria falsa, et

*1 V. art. delir. trem. dict. med. pract. vers. ab angl. D. Michelotti.

*2 Mémoir. de l'Acad. Roy. de méd. t. 1, sur la folie des ivrognes, etc.; et Omodei annal. univer. di med. stran., fasc. 150.

*3 Gaz. méd. Paris, n.º 1, 1834.

*4 Gaz. médic., n.º 42, 1834.

magis propinquante malo horror lucis, spectra visum, praesertim ante cubitum molestantia, aurium sussurrus, sybilus, perceptio sonorum vocumque non existentium, desiderium pulverem nicotianae tabaci continuo naribus attrahendi, voracitas, anorexia, pica, liquorum fermentatorum et aquae effraena cupiditas, sensus caloris universalis, impulsus ad corpus denudandum, fenestras et januas quacumque tempestate aperiendas, amotio culcitrarum, deambulationes nocturnae, vigiliae contumaces, somnus levis et brevis, somnia terrifica cum protractis et vagis cogitationibus, diurnis cohaerentia, meditationes, quibus aegri praesertim solitarii immorantur, terrores ex levi causa, frequens iracundia ex minima occasione, tentamina aliquid furtive auferendi, facies rubra, dolor capitis assiduus, vertigo, angor, cordis palpitatio, evacuationes solitae cruentae in foeminis suppressae, et specificus transpirationis odor. Talia pro signis insaniae praecursoribus denotata, una aut altera praecedunt pro varia forma quam assumere debet morbus, et ipsum jam manifestum saepe comitantur.

XVIII. Symptomata vero, ex quibus singuli ex istis cerebralibus morbis stipari solent, innumera et varia sunt pro vario affectionis modo et complicatione cui subjacent; ipsaque singil-

latim enumerare longum nimis, nec facile persolvendum opus. Quae enim extraordinaria phoenomena, aut quae absurda ex dictarum facultatum perturbatione atque exaggeratione cum externorum sensuum organorum hallucinationibus, atque ex viscerum ingratis sensationibus illis adsociatis progigni atque manifestari non possunt?

XIX. In pulsuum varietatem inquisiverunt *Leuret* et *Mitivié* *1, ipsumque variare juxta varium delirii genus statuerunt. Nam ex dictorum scriptorum sententia foeminae hallucinatae, monomaniacae, vel non, pulsus magis quam in statu naturali frequentes habebant: isti in maniacis tamen celeriores quam in monomaniacis: in dementibus vero magis tardi et debiliores. *Venis autem maxime nos credimus fallacissimae rei.*

XX. Ad insaniam excitandam, eaedem ac alios morbos producere valent caussae, generatim concurrere possunt, atque in praedisponentes idcirco et occasionales etiam dividuntur. Illae praeterea, quae vesaniis favent, in duas classes plerumque fuerunt distinctae: in caussas physicas nempe et caussas morales; physicae porro in idiopathicas et sympathicas subdivisae.

*1 De la fréquence des pouls chez les aliénés, p. MM. Leuret et Mitivié. Paris 1832, 8.º broch.

Idiopathicae *1 dicuntur externae, si a caussa violenta externa, internae si a cranii exostosibus, tumoribus super cerebrum positis, etc. proveniant. Sympathicas etiam subdistinxit *Georget* *2 in physiologicas et pathologicas; suppressionem consuetarum et naturalium evacuationum inter physiologicas; vermes intestinorum, hepatis, ventriculi, etc. morbos inter pathologicas caussas recenset. Alias propositas caussarum divisiones praeteribimus, illarumque nonnullas tam praedisponentium, quam occasionalium, saepius ab auctoribus notatas, breviter enumerabimus.

XXI. Ad caussas praedisponentes revocantur tempestas vernalis atque aestiva; aetas inter 20 et 45 annum; epocha menstruationis; graviditas; puerperium; vitia haereditaria et congenita; cessatio catameniorum; inaequalis hemisphaeriorum cerebri partium evolutio; epilepsia; onanismus; pressio ossium cranii in infantibus a *Foville* *3 accusata; attentio constanter uni eidemque objecto, muneri, officio addicta; educationis modus; vitae ratio; nationum cultum nec defuerunt,

*1 Ferrarese op. cit. v. 1, p. 40. Napoli 1830.

*2 De la folie etc. Paris 1820, chap. 11 des caus. de la folie.

*3 Mémoire sur la déformation du crâne résultant de la manière la plus générale de couvrir la tête des enfans, p. M. Foville Achille, Médecin en chef de l'asile départemental des aliénés de la Seine Inférieure.

qui inter insaniae caussas enumeraverint. Urbes frequentiores habita incolarum proportione majorem quam pagi insanorum numerum suppeditant. Hoc enim constat e censu quem de istis habuerunt *Burrows*, *Julius*, *Halliday*, *Bisset Hawkins* in Anglia, *Pastoret*, *Desportes*, *Dupin*, *Esquirol* in Gallia, *De La Rive* in Helvetia, *Holst*, *Wendt* in Norvegia, *Lostritto*, *Brierre de Boismont*, *Marini* in Italia, idemque apud nos observatur. At ex eo non inferendum praesentem politiorem societatem caussam esse majoris insanorum numeri aevo nostro quam praegressis quod quaesitum fuit, at non determinatum *1.

XXII. Caussas occasionales in genere constituunt vota temeraria, fanatismus, mutationes politicae, spes frustrata, ludus, infortunia, amor infelix, zelotypia, res matrimoniales male se habentes, pudor, nuncia terrifica, studia intensa, vigilia, ebrietas, insolatio, viscerum thoracis et abdominis inflammationes, vitia systematis arteriosi, ulcera praepostere sanata, hemorrhagiae consuetae retentae, dysenteria cohibita, lactatio, impetigines, exanthemata

*1 Qui nationum cultum utpote caussam directam in hac re accusant tacite probant cum Rousseau reflexionem esse statum contra naturam, hominemque meditantem animans esse depravatum: et cum Helvetio taedium ultimum perfectionis humanae gradum sistere. Talibus non assentimur.

retropulsa, pellagra, syphilis, mercurialium abusus eorumque mala administratio, apoplexia, encephalitis, membranarum cerebri crassities, pseudo-membranae, ipsarum concretiones osseae, seri ab illis transudationes, vulnera capitis et violentiae isti illatae, pharmaca narcotica, imitatio et consuetudo cum maniacis. Enumeratae caussae sive praedisponentium, sive occasionalium interdum ad invicem vices gerere possunt.

XXIII. In statuenda vesaniarum sede, exceptis ambiguitatibus, atque haesitationibus a *Pinel*, *Esquirol*, *Amard*, *Foderé*, aliisque paucis saepe nimium manifestatis, omnes pathologi nunc consentiunt. Cerebri substantiarum mollities, indurationes, erosiones, coloris variationes, injectiones sanguineae, vasorum dilatationes, seri collectiones, et membranarum ejus vitia in omnibus fere cadaveribus detecta per inspectiones *Lallemand*, *Rostan*, *Bouillaud*, *Foville*, post plurimas a jam alibi laudatis pathologis institutas; necnon cerebralis physiologiae progressus post *Gall*, *Meckel*, *Rolando*, *Tiedmann*, *Serres*, etc. indagines, in hoc viscere inquirendam esse extra omnis dubitationis aleam posuerunt. At si in insaniae sede indicanda generatim auctores concordant, illorum tamen consensum in morbosa conditione qua ipsa fo-

veatur definienda nullo etiam opinionum certamine turbatum fuisse frustra expectabimus.

XXIV. In vitiosa spirituum dispositione vaporibus melancholicis inquinatorum: in spirituum animalium opaca, crassa et tenebricosa conditione cum depravatione phantasmatum: in spiritu vitae veneno mercurii infecto: in luna lumine vacua Saturno conjuncta: in influxu diaboli: in atra bile, archeo, etc. ab *Aristotele, Galeno, Paracelso, Astrologorum secta, Stoll, Vanhelmont, Stahl* jamdiu quaesita fuit. In sthenia quaerebatur a *Brown*; in nervea excitatione a *Pinel*, atque in laesione virium vitalium cerebri a *Gall* et *Spurzheim* reponebatur. At sicuti unaquaque aetate est suum Scholis medicis judicium, de illius natura nunc temporis dissimiles etiam enunciantur sententiae. *Frank* Joseph ait: « Ad nos quod spectat rejectis quibuscumque hypothesibus circa intimam morbi naturam id solum contendimus manias sistere genus morborum a reliquis cerebri morbis haud omnino diversum. » *Georget* etsi sedem insaniae in cerebro etiam statuit, fatetur tamen ipsius caussam proximam nondum cognitam esse. *Royer Collard, Lallemand* rati sunt delirium speciatim ab arachnoidis inflammatione produci. *Falret* asserit nullum de illius caussa dubium superesse, quo-

niam meningum et cerebri laesiones in cadaverum sectionibus detectae satis esse possunt ad explicanda alienationum mentalium phoenomena. *Voisin* ei adstipulatur. *Bayle* ipsam videt in meningite chronica; in chronica encephalite *Calmeil* : *Delaye* , *Foville* et *Pinel-Grand-Champ* in substantiae corticalis cerebri inflammatione. *Broussais* asseverat posita mania irritationem cerebri semper concurrere debere, hanc irritationem per longum tempus ab alterius visceris phlogosi foveri posse, at si diutina nimis fuerit, in veram encephalitem cum parenchymatosam, tum membranosam posse converti. *Bottex* admittit cum *Broussais* maniam effectum esse irritationis cerebri. *Fantonetti* varia morbosa phoenomena alienationis mentalis a varietate motus, positionis mutatione, inclinatione, aliisque similibus fibrillarum vel staminum cervicalium desumit. *Ferrarese* opinatur maniam cum delirio generali effectum esse irritationis activae a cerebri et speciatim totius vel magnae partis substantiae cinereae corticalis phlogosi productae, cum irregulari exaltatione, aut excitatione hujus organi saepe arachnitem, vel meningitem consequente: maniam absque delirio activam etiam irritationem, vel cerebri, atque alias cerebelli phlogosim specificam pro caussa agnoscere. *Scipio Pinel*, ut jam vidimus, in

cerebri induratione dementiam, atque in acuta ejusdem irritatione maniam consistere cogitat.

XXV. Nos dum insaniam dicimus infirmitatem specialem illarum partium cerebri, quae cum facultatum intellectualium et instinctivarum phoenomenis magis directe sociantur, atque ab aliorum viscerum humani corporis, aliarumque cerebri partium ac ejus membranarum morbis foveri posse credimus: organorum tamen dictarum facultatum affectiones per se, quin ab aliis necessario semper pendere debeant, existere posse judicamus. Quapropter nil repugnat omnes conditiones morbosas, quibus comprehendi videntur caetera nervei systematis mala, in istis etiam reperiri. Quo sensu, vocem, seu conditionem, *irritatio* cerebri, a plerisque laudatis clar. pathologis indistincte adhibitam, et unice admissam, utpote nimis genericam, nec satis philosophicam esse, nec solam ad omnes morbosas conditiones indicandas sufficere posse autumamus. Etenim vero non unica, sed diversae illorum organorum conditiones morbosae ex nostra sententia insanias variis in casibus efficere possunt, scilicet vel simplex irritatio, vel superexcitatio, vel phlogosis, vel harum effectus organico-vitales. Quando interim in simplici irritatione a membranarum cerebri crassitie et seri transudationibus, etc., vel alia specifica

caussa, puta a mercurio, etc. producta, insania consistat, aut in vera partium affectarum superexcitatione, vel irritatione ab omnibus enarratis caussis independente, non facile est determinare; omnium adjunctorum severa investigatio medico lumen afferre potest. Phlogosim autem in parte cum illius functionis exaggeratione aut raro adesse credimus, vel saltem non per longum tempus continuare quin vel cedat, vel partis structura laedatur, et functionis vis labefactetur; hinc censemus cum phlogosim, tum ipsius effectus functionem partis in qua resident sufflaminare posse, sed simul etiam irritationem, vel superexcitationem in proximis aliis interdum inducere, ex quibus perturbationes diversae habeantur non directe ab illis pendentes, sed ab irritatione, vel superexcitatione inde proficiscentibus.

Quocirca ad manias, et monomanias excitandas irritationem, vel superexcitationem necessariam ducimus, quaecumque sit istarum origo, ita ut functionum exaggeratio producatur; ad dementiam autem constituendam functionum cerebri debilitatem vel abolitionem, quae vel a phlogosi, ipsiusve effectibus proveniat, vel a superexcitationis, aut irritationis sequelis, uti esset seri effusio compressionem gignens, vel aliud impedimentum partis inertiam

secum trahens, aut a primitivo virium cerebri collapsu, qui modo ab exercitii organorum ipsius defectu, modo ab immodicis jacturis, similibusque proficisci potest.

Ut insuper sententiam nostram penitus exponamus, addere praestat istiusmodi partiales laesiones, ex quibus alicujus specialis organi cerebri functiones exaggerantur, perturbantur, inertes fiunt, ad invicem in alias cerebri partes reagere posse, ita ut una simul in variis casibus non unius, sed alterius etiam, vel plurium facultatum aberrationes habeantur, et quidem magis vel minus generatim sibi respondentes. Pariter ex hac nostra doctrina facilius intelligi posse videtur quomodo nam in diversis hominibus prout vel unum vel alterum praepollet organum variae speciei insaniae potius occurrere debeant: nam a facultatum exaggeratione, perturbatione, inertia, quae a supra memoratis conditionibus morbosis inducantur, speciales potius aberrationes intellectuales vel affectivae excitentur oportet: sic illi, exempli caussa, in quibus organa vel aversationis, vel amoris sui dominantur, potius ad irritationem, scilicet perturbationem, aut superexcitationem, aut phlogosim, vel interdum etiam virium collapsum horum organorum proclives sunt, ac ideo ad facultatum hisce organis inhaerentium

exaggerationem, perturbationem, inertiam. Demum quin adamussim organorum cerebri distributionem compertam esse existimemus, attamen eo valde tendimus, ut credamus ex simplici unius vel composita variorum cerebri organorum affectione vesaniarum phoenomena facilius explicari posse, quam ex vario solummodo totius cerebri irritationis, vel alterius affectionis modo.

XXVI. Diagnosis. Vario sub aspectu in istorum morborum instituenda diagnosi medici officium considerari potest. Vel enim de insania judicare ille debet, ut rectam curandi methodum instituat; vel quousque ipsa detentus aegrotans jure civili frui possit, ne intempestive scilicet isto utatur aut destituatur, et quum de illius existentia adest dubium, ne criminis libere patrati inulta remaneat societas, aut reapse insania laborans libertate et vita aliquis insons expolietur, judicium ferendi gravissimum ei munus incumbit. Quod ad medicum clinicum spectat, multa in ipsomet aegrotante atque ab ejus consanguineis noscere poterit, quibus tuto de morbi praesentia pronunciare queat. Ex illis vero quae jatro perito forensi solvendae occurrere possint quaestiones, nonnullas summatim attingere in thesibus ex medicina legali proposuimus.

XXVII. Prognosis. Judicium de morborum exitu, si alias saepe fallax, hic fallacissimum. Quot enim ex oborta cutanea eruptione, ex tumefactione, et suppuratione parotidum, ex alterius visceris superveniente inflammatione, post subitam et vehementem moralem commotionem; quot, inquam, quorum a pluribus annis conclamata videbatur salus, familiae, amicis, societati citra medicorum spem, atque judicium restituti non praedicantur? Contra, quam saepe etiam morbus, ab initio levis declaratus, ex membranarum cerebri progrediente inflammatione, ex adaucta inde ipsarum crassitie, et lentis seri exhalationibus et collectionibus, a sanguinis congestionibus ad caput repentinis in chronicum, incurabile, exitiosum malum extra omnium expectationem observatus non fuit conversus? Ast indicia nilominus adsunt, quae ex observationibus deducta, de futura morbi resolutione prognosim probabilem reddunt. Istaque desumuntur a caussis et aggressionis modo, ab aegrotantis aetate et constitutione, a morbi indole, forma, complicatione, caeterisque morbi adjunctis.

XXVIII. Prognosis ex caussis et aggressionis modo. Vitia haereditaria, apoplexia, epilepsia, animi pathemata diu passa, longa omnium caussarum actio, lenta mali aggressio et gradata dubium magis eventum portendunt, quam si

caussae haereditariae absint, et caussae physicae magis quam morales egerint, si nempe post alicujus sanguinis fluxus suppressionem, exanthematis retropulsionem ac derepente manifestus factus sit morbus.

XXIX. Prognosis ab aegrotantis aetate atque constitutione. Aetas provecta, corporis status debilis, infirmus, rachiticus, scrophulosus, vitiata cerebri conformatio, mali ominis sunt; aetas juvenilis et virilis, physica constitutio firma, robusta, nullo vitio labefactata boni augurii existimanda.

XXX. Prognosis ex indole, forma, et complicatione. Si partes inflammatae reapse sint, difficilius quam si superexcitatae solum aut irritatae fuerint, morbus poterit superari. Mania facilius quam monomania et dementia. Dementia acuta et cum agitatione, uti et monomania, facilius quam si lentae et quietae fuerint in naturalem statum mutari queunt. Stupiditas has affectiones subsequens fere semper incurabilis. Ambitio et superbia si imperium teneant in homine cum suimet oblivione, tenacissimae erunt. Haec laesionis species, quae inter frequentiores occurrit, statim ab ejus aggressione vix aliquam sanationis praesentat probabilitatem, et si aliquandiu perstiterit, omnia artis conamina saepissime eludit. Venerationis sensus,

atque timoris exaltatio inde sequuntur, inter caeteras non tam facile devincenda. Si morbus foveatur ab aliquo vitio organico, vel caussis idiopathicis internis mechanicis, difficillime fugatur; si ex alterius visceris affectione per consensum excitetur, dummodo diuturna nimium haud permaneat, victa aut sedata visceris affectione, saepe etiam sedatur. Insania, quae cum graviditate manifestatur, saepissime post partum evanescit.

XXXI. Signa quae in morbi decursu palam fiunt, atque ipsius exitus modum plus minusve probabiliter indicant. Notio proprii status, desiderium ex illo abeundi, amicum acquirendi, affines, infantes suos revisendi, propriis muneribus operam navandi; consuetudines et inclinationes antiquae renatae; mutatio in morbi forma; accessus retardatio; apparitio haemorrhoidum, menstruorum, varicum, exanthematum, apostematis, exulcerationis spontaneae, dysenteriae, pro bonis signis existimantur. Febris intermittentis tertianae vel quartanae speciatim adventus salutaris jam a *Galeno* fuit observatus: *Cabanis* et *Ferrus* observationem etiam confirmarunt: tertianam tamen absque levamine jam pluries nos vidimus. Omnium demum facultatum magis facile et regulare exercitium cum florido et naturali physionomiae

statu, caeterae vitae functiones ad rectam normam restitutae, atque obesitas salutis recuperationem magis secure praenunciant. Exaggerationis functionum transitus ad languorem vel abolitionem, agitationis ad quietem, ipsarum perstante perturbatione; nulli ex remediis adhibitis salutares effectus, epilepsia, paralysis, accessus epileptiformes in non epilepticis ad intervalla supervenientes, insaniae paroxysmi frequentiores; vel aegri habitus sanus, exercitium normale reliquarum vitae functionum cum obesitate, et nulla mali in melius mutatione accedens, fere semper ad chronicum et incurabilem statum morbum vertere judicium generatim confirmant.

XXXII. Medicinae conamina saepe prius frustrata cum philosophiae progressu in Europa amice conspirantia id tandem effecerunt, ut victo, cui infelices insani subjiciebantur, superstitionis imperio, ad miserandam illorum conditionem allevandam ubique gentium nunc temporis generosa aemulatione contendatur. Non ferris, non contumeliis, non percussionibus aut carcere, sed moderata et dulci libertate, humana et rationali medicina, bene constructis, accommodatisque aedibus tam publicis, quam privatis huic hominum calamitati aetate nostra occurritur. Laetamur enim hanc nostram Italiam, ut

ex ipsorummet advenarum, difficili plerumque, sententia constat *1, quod ad pia hujusmodi hospitia publicis sumptibus erecta, aut nullae secundam esse, aut inter caeteras nationes principem locum tenere.

XXXIII. Ast inter haec optima, quaenam ad terribilem morbum profligandum magis idonea in usum ducenda erunt auxilia, et quomodo post omnes insaniae divisiones, et denominationes aegrotanti salus, praecipuus totius medicinae finis, tutius, citius, et jucundius restitui possit, quaerenti haud facile responsum. Infinita venit remediorum cohors. Post aliquot felices vel fortuitos successus, post aliquot casus, alia utpote maxime proficua, alia etiam uti specifica praedicata. Acriter nonnulli pro physicis, acerrime alteri pro moralibus et psychicis, seu remediis animae magis incongrue nuncupatis, medici propugnavere. Nisi a sanguinis missionibus, drasticis purgantibus, bal-

*1 Vingt-cinq établissemens environ sont donc consacrés en Italie au traitement de l'aliénation : de ces vingt-cinq établissemens deux peuvent être mis en première ligne, l' Ospedale dei Pazzarelli de Turin, et la Maison de San Lazzaro près Reggio. . . . . Cet édifice (novissimum manicomium) bien aéré, digne de prendre rang parmi les constructions qui embellissent Turin, figurera honorablement dans le petit nombre des bâtimens-modèles destinés aux aliénés, etc. Brierre de Boismont, des établissemens d'aliénés en Italie. V. Journ. compl. des scienc. med. vol. 43 et 44.

neis per subitam submersionem illico aegrotans sanatus fuisset, spem salutis conclamabant primi; maniae saevienti vix physica nonnulla, ut vocarunt, remedia concedentes alii, caeteras spiritus, et mentis sic dictas aegritudines, melancholias videlicet, unice per animi medicinam sanari posse statuerunt. Quapropter medendi insaniae methodus in physicam, et moralem, etiam psychejatricam dictam, seu animi medicinam, distincta. Peccarunt utrinque, qui talia crediderunt, uti et falluntur, qui etiam nunc non prudentiores pro una aut altera parte absolute pugnare malunt. Miramur sane quod publicum hospitium, aevo praesenti famam principatus adeptum, unice fere in moralibus auxiliis confidere videatur *1.

XXXIV. Insania nullo modo a plerisque aliis morbis differt; phoenomenorum a caeteris diversitas, quibus comitatur, nil significat nisi diversarum partium laesionem. Nullum specificum remedium. Quot sunt vigentes caussae quibus fovetur, quot complicationes cum quibus concurrit,

*1 Sebbene sia un principio generale ricevuto, che il metodo di trattare e guarire i pazzi debba essere principalmente fondato sulla cura mentale . . . . . .

Vi saranno quindi nello stabilimento, e più per curare i morbi avventizi, un medico consultore, ecc. Capit. 2.o Serviz. sanitario art. 6 et 7. V. Istruzioni per la novella casa dei matti in Palermo, compilate da Pietro Pisani institut. dirett. ammin. di esso stabil. Palermo 1827.

tot esse possunt indicationes, quibus prudenter medicus ad agendum suadeatur. Arthritis, exanthemata retropulsa, syphilis si pro caussa agnoscantur, illa adhibenda remedia quae in hujusmodi casibus experientia proficua demonstravit. Si a naturalis vel consueti alicujus sanguinis fluxus, vel antiqui ulceris suppressione proficiscatur, haec revocentur. Si ab alicujus visceris affectione et consensu foveatur, quae specialia hoc vitium postulabit illico administranda. Monendum interea delirii genus de istarum laesionum sede ad diagnosim illustrandam saepe conferre. Pellagra fere semper propensioni ad suicidium associatur. Non raro in aegrotantibus venenum in potu timentibus, aut serpentes etc. in ventre accusantibus, tristibusque ideis, et invincibili alimentorum adversitate detentis, aesophagum, ventriculum, intestina inflammata atque ulceribus erosa, in membrana mucosa praecipue, cadaverum autopsia patefecit.

XXXV. Exceptis ideo peculiaribus indicationibus, quomodocumque vel physica, vel moralia, aut indirecta rationalia, et directa empirica cum *Georget* appellari velint auxilia, breviter de nonnullis dicemus, quae ad profligandam insaniam in genere proponuntur.

XXXVI. Aegrotantium a familiaribus, et consanguineis omnimoda et perfecta separatio statim

ac insania ingruit, praecipuum est auxilium, cujus efficacia generatim a scriptoribus in dubium non ponitur. Hujus igitur primitus satagendum. Quod ut obtineri possit, aedes publicae, in quibus hujus generis morbi curantur, facilem et securam viam suppeditant. Ibi enim vitae rationis diversitas, mutatio loci, adstantium novitas, omnium caussarum externarum amotio sub quarum influxu domi aliquando foveri potuit morbus, saepe unice ad valetudinem redintegrandam sufficiunt. Observatione equidem constat nullo alio auxilio, quam simplici inclusione, plurimos post breve tempus sanatos fuisse.

XXXVII. Balnea, quorum usus antiquissimus et universalis, inter praecipua praesidia sunt adscribenda quibus insania debellatur. Tepida caeteris praestant. Quae in aqua frigida per subitaneam immersionem fiunt saepissime perniciosa. *Wanhelmont* eo venerat, ut aegrotantes aquae submersos voluerit donec sensuum usu destituerentur. Balneum temperatum per duas etiam vel tres horas protrahi potest; magisque proficuum aliquando erit, si substantiae nonnullae medicamentosae aquae immisceantur: aqua cohobata foliorum pruni lauro cerasi ad duas, tres uncias, succus herbarum conii maculati L., hyosciami, et solani nigri inter alias ad Lib. ij-iij cum utilitate adhiberi poterunt. Balnei virtus

adaugebitur si uno eodemque tempore aqua frigida aceto mixta capiti applicetur. Aquae stillicidium ab alto cum cautione adhibendum, maxime si violentum fuerit. Praescribit *Esquirol* in aqua frigida immersionem si melancholiae onanismus caussam dederit. Aquae frigidae aspersiones nerveam reactionem extus provocando, spasmum internum vincere posse, atque ad morbi resolutionem feliciter concurrere ipse docet. Pediluvia irritantia, semicupia quoque conveniunt.

XXXVIII. Sanguinis missionum generalium abusus nocere potest, at non proscribendae uti vult *Pinel* : *Esquirol* fere omnino ei assentitur. *Daquin* raro utebatur. *Haslam* et *Frank* ut maxime utiles considerant. E pede et brachio ducto sanguine pacari potest aegrotus. Venae jugularis sectio eundem producit effectum. Hirudines saepius cum felici exitu, et absque minori discrimine, temporibus, retro aures, jugularibus admoventur. Venae occipitalis incisio nec semper controindicata.

XXXIX. Purgantium usus proficuus, moderatus tamen; blanda potius suppeditanda, dilutum cassiae, tamarindorum, prunorum in ptisana imperiali, etc. oleum ricini, salia neutra. Drasticis raro indulgendum. Helleborum adeo ab antiquis celebratum nocivum dixit *Pinel*,

bebit. Manias continuas furori etiam sociatas rationali et moderata methodo curatas post plures annos cessisse non desiderantur observationes.

XLVI. Saevientem atque agitatum insanum, ne sibi aliisque infensus sit, atque ut praescriptis pareat, compescere quandoque necessum et erit. Tunc vel solus et liber in parum luci pervio cubiculo, vel in lectulo detinendus. Coercitio autem nunquam nimis protrahenda, et ea semper, ut *Morgagni* praecipit, *intra modum atque instar parentis, qui coercet liberos, non lictoris, qui in damnatos desaeviat.*

XLVII. Dum vero insania intermittit, et in illa quae cum impetu haud fit, superius tamen dictis omnino nunquam omissis, revulsivis praesertim, potissimis aliis auxiliis, generali consensu laudatis, desipientibus etiam succurritur. Pertinax qui viget in monomaniaco affectus, atque circumscriptus in dementibus error, diversis excitatis affectionibus, novisque ideis et sensationibus debellantur, non illis favendo nec adversando. Persuasio et ratiocinium contra imperantem fallaciam deficient, vel nisi breviter forte juvabunt. Valde probus et prudens vir, diuturnissima observatione per insanorum frequentiam edoctus, saepe solebat dicere; errorem ab insani mente argumentis divellet, qui hominem quartana correptum, frigoris stadio

ne contremiscat, verbis etiam suadeat. Fides ei maxima concedenda. Salutem ut consequerentur veteres Anticyram navigabant. Itinera per dissitas atque amoenas regiones suscipiendo, divites id pariter obtinebunt. Varia corporis exercitia, violenti immo etiam et continuati labores, facilius auxilium, omnibusque utilius, summopere commendanda. Occupatio in quiete et silentio, inter omnia, docente *Zimmermann*, ad melancholiam amovendam efficacissimum est remedium, ejusque tenebrae ex grati objecti conspectu fere semper fugantur. Librorum lectura prudenter, nec nisi raro permittenda. Consanguineos et amicos alloqui, quum sciat medicus saepe inde malum exacerbari, caute aegroto concedet, non tamen semper denegabit.

XLVIII. De musices efficacia in hisce morbis, dummodo ea vario illius characteri sit accommodata, nec antiquitas dubitaverat, nec aevo praesenti nemini est dubium. « Assentior » Platoni, ait *Cicero* (in libr. de leg.), nihil » tam facile in animos teneros atque molles in» fluere, quam varios canendi sonos, quorum » vix dici potest quanta sit vis in utramque » partem, namque et incitat languentes, et » languefacit excitatos, et tum remittit, tum « contrahit animos. » « Auditus, asserente *Ba*« *cone de Verulamio*, magis immediate com-

» movet, quam caeteri sensus, magisque in-
» corporabiliter quam odoratus. Visus enim et
» tactus organa habent, quae tam obvium et
» immediatum ad spiritus accessum haud prae-
» stant ut auditus. »

XLIX. Quum calliditate et blanditie, aut apparenti rigore uti debeat; quomodo insano promissionis memori, ne vani unquam aliquid polliceatur, ne exasperetur, impediat; quasnam attentiones, quantam in monomaniacis praesertim suicidis vigilantiam, curam inculcare sit necessarium, et caetera quae in variis rerum adjunctis peragere debeat medicus, mittemus; prudens ille sapiet. Quae tandem humanitas, longanimitas, et comitas erga hujusmodi aegrotantes requirantur, quum medicus sit qualem magnus medicinae Parens voluit, quin ulterius edoceatur, jam tenet corde defixum.

L. Regimen diaeteticum magis consentaneum quale sit, ad vires morbo fractas erigendas, praesentesque servandas, ad nimium excitatas moderandas, quisque persuasum habet omnes insanos aegrotare, probe callet: victus scilicet melioris semper naturae sit oportet.

LI. Remittente denique malo, atque in convalescentiae progressu, de proxima redeunte valetudine aegrotantem certum reddere, dulcia natorum, patris, conjugis, amicorum,

patriae nomina illius memoriae revocare, spem, desiderium ipsos revisendi, amplectendi suscitare haud infructuosum erit.

Soavemente al cor s' apre 'l sentiero
Oggetto che ricordi antico bene,
E gradite ritornano al pensiero
De' passati piacer l' ore serene.

Amici, consanguinei inde ipsum adeant, de rebus domesticis secum habeant sermonem, et si post haec nulla infesta commotio succedat, et caetera colligendo quae felicem exitum morbi portendunt, medicus de aegri salute securus pronunciabit. Meminerit attamen semper istam magis firmam esse, si continua fuerit insania, quam si intermittens, atque homicidam monomaniacum et suicidam infinitas cautiones expostulare.

LII. Caussas illi faventes dimovendo, et quae ipsam profligant identidem in usum etiam ducendo, insaniae regressus praecavetur.

EX MEDICINA FORENSI.

QUAESTIONES DE VESANIIS.

I.

Qualicumque foedere diversae coalescant societates, quibus homo suapte natura ad consortium cum aliis inclinatus, ut civis adscribitur, quadam semper legum norma reguntur, quam ne publicus ordo perturbetur, neque illarum aedificium corruat, integerrime unusquisque sociorum sequi tenetur. Accidit nihilo tamen minus, ut, quibusdam peculiaribus sub conditionibus, reipublicae jussa detrectentur, quin ob noxam poenis affici possit civis, dum imo saepe communibus legibus est omnino solvendus. Quod nempe ob valetudinem frequenter locum habere potest. Etenim ut de multiplicibus aliis morbis sileamus, per illos potissimum id evenit, quibus functiones affectivarum et intellectualium facultatum imperfectae manifestantur, aut aliquo

modo perturbatae vel impeditae sunt. De surdis siquidem et mutis, somnambulis, ebriis, fatuis, et insanientibus in foro saepissime agitatur quaestio, et disputatur quousque in ejusmodi statu hominibus ad agendum competat facultas in jure civili, atque illorum actiones in criminali sint imputandae. Quin imo an violentus animi motus utpote monomaniae accessus considerari possit; vel utrum dominans et partialis affectio, quo tempore perstat, insaniae statum producere in homine valeat, quandoque controversum: an insuper suicida insanus jugiter sit etiam contenditur.

II. In hisce rerum adjunctis quum eo lex omnis spectet, ut privati reapse haud sui compotis bono consulere possit, nec calliditati et malitiae cum aliorum detrimento ansam porrigat, ad rei veritatem confirmandam, deficiente tunc jurisconsulti scientia, ad medicinae lumen necessario confugitur, atque a medici sententia judicium unice pendet.

III. Ad tam arduas, tantique momenti quaestiones definiendas, in quibus societatis securitas, honos familiarum et civium, istorumque jura, libertas et vita reponuntur, quanta doctrinae copia, quantaque prudentia pollere medicum oporteat, rei metipsius gravitate fit manifestum. Hoc cum cognovissent doctissimi ac

prudentissimi in arte viri, ad difficilem viam medicis explanandam, variis temporibus scripta elucubrarunt, in quibus caeteras medico-legales quaestiones exponentes atque dilucidantes, istas etiam, quae ad intellectualem atque moralem hominum vitam spectant, agitarunt, et praecepta in hisce casibus sequenda, sapientissimo consilio, proposuerunt. Eminet inter alios Italus *Paulus Zacchias*, immensa doctrina et sublimi ingenio praeditus, cujus opus jure primum in hoc genere consideratum, philosophiae, theologiae, jurisprudentiae, medicinae et historiae notionibus locupletissimum et inexhaustum fontem perhibuit medicis omnibus posterioribus, qui circa hanc materiam scripserunt. Ast quae illis temporibus sufficiebant, quibus philosophiae Aristotelicae dogmatibus fere unice in scholis obtemperabatur, et per *Vesalii*, *Columbi*, *Fallopii*, atque *Eustachii* labores anatomes studium excoli vix ceperat, et pharmaciae, atque chemiae notiones vanae incertaeque erant, hodierno scientiarum omnium progressui haud amplius omnino consentanea esse poterant. Alia ideo desiderabantur; multumque equidem operae restabat, cujus perfectioni studuerunt, quin de omnibus loquamur, inter nuperos *Fodéré*, *Mahon*, *Belloc*, *Tortosa*, *Barzellotti*, *Orfila*, cum quibus et clar. Praeceptor noster

Martini, qui ex tot scriptis, quae humanitatis beneficio vastissima ejus mens dicavit, unum etiam medicinae forensi, medicis non solum, sed et jurisconsultis proficuum sacrare voluit. Argumenta porro de vesaniis quod ad forum, *Georget* *1, *Marc* *2, *Hoffbauer* *3, *Brierre de Boismont* *4, *Esquirol* *5, *Régnault Elias* *6, *Collard de Matigny* *7, *Quetelet* *8, *Ferrarese* *9 magis directe perpenderunt.

IV. Ex superius enunciatis quaestionibus, propter quas medici consilium a legumlatoribus sciscitatur, non omnes in hac nostra dissertatione locum tenere debent. Insaniam enim perturbationem, vel impedimentum exercitii fa-

*1 Discussion méd. légale sur la folie, in-8.º, Paris 1826; et discussion sur la folie, suivie de l'examen de plusieurs procès criminels. Paris 1828.

*2 Consultation médico-légale. Paris 1826.

*3 Médecine légale relative aux aliénés et aux sourds-muets. Trad, de l'allemand p. A. M. Chambeyron, avec des notes p. MM. Esquirol et Itard.

*4 Observ. méd. lég. sur la monom. homicide. Paris 1826.

*5 Note méd. lég. sur la monom. homicide. Paris 1827.

*6 Du dégré de compétence des médecins dans les questions judiciaires relatives aux aliénat. mentales, etc. Paris 1830.

*7 Questions de jurisprudence médico-légale, etc. Paris 1820.

*8 Observ. sur le penchant au crime aux différens âges. V. Revue encycl., 8.º, 1831.

*9 Ricerche intorno all' origine dell' istinto, ecc., e del modo come vi agisce per servire di schiarimento nelle questioni risguardanti la moralità ed imputabilità delle azioni. Napoli 1831.

cultatum intellectualium et instinctivarum ex adventitia caussa dicentes, surdos et mutos a nativitate excipiemus. Isti, tametsi a Romanis legibus, stupidis, dementibus, atque infantibus *1 aequiparati, quum institutionis capaces nunc temporis considerentur; quorum ingenium excultum fuit, merito ad omnia civium jura admittuntur. Somnambuli inter insanos haud recensentur. Ebrietatem jam alibi ab insania etiam distinximus. Qui homines violento laborant animi motu, seu passione, licet insaniae characteres saepe exhibeant, usu tamen, nimium ne adaugeatur insanorum numerus, tales societas non existimat.

V. Suicidium, utrum insaniae effectus semper sit, quaeritur. « Cette question, asserit Orfila *2, » rentre évidemment dans les précédentes; en » effet déclarer que les passions ne sont point » des états de véritable aliénation mentale c'est » dire implicitement que le suicide provoqué » par elles, n'est point le résultat de cette » maladie. L'homme qui souffre au point de » désirer la mort, n'a pas sans doute l'esprit » calme, et avant d'arrêter la funeste résolu- » tion de se détruire, avant surtout de se porter » le coup mortel, il doit être en proie aux

*1 Cod. Just. lib. VI, tit. 22.

*2 Leçons de méd. légale, t. I, p. 443.

» plus vives angoisses, si la raison n'est pas
» aliénée; mais quel que soit en ces instans
» le trouble de ses facultés mentales, il ap-
» précie la gravité des circonstances qui le pres-
» sent, et calcule les résultats de l'action qu'il
» médite. » Suicidium a lenta vel latente encephalite semper pendere opinatur Carminati *1. Istud absolutum, vel simpliciter meditatum a caussa physica cerebro, vel cerebello morbum afferente, ortum ducere opinionem ejus confirmarunt incipientis morbi symptomata, et illorum confessiones, qui post fatale attentatum e vita non illico cessere. Postremis enim vitae momentis, quae ipsis superfuerunt, ab inusitatis et violentis impulsibus, pravis inclinationibus, hallucinationibus, phantasmatibus menti obversantibus se adeo vexatos fuisse, ut ad horrendum excessum coacti fuerint, declarasse idem Auctor asseverat. Verum ab ipso differt *Frank Joseph* *2: siquidem scribit: « Si perpenda-
» mus vitia in cadaveribus post autochiriam
» reperta, et in cadaveribus hominum morte
» naturali defunctorum inveniri, et fortuito
» existere posse: plurima cadavera autochiria
» peremptorum plane nil morbosi ostendere:

*1 Memor. dell' I. R. Istituto del Regno Lombardo-Veneto, t. VI; et Omodei, Annali univers. di medic., vol. 70, p. 577.

*2 Prax. med. univ. vol. 9, part. 2, p. 275., edit. 2 Taur.

» suicidium neque apud omnes gentes, neque » in omnibus civium classibus, quamvis non » minus morbis cerebri, cordis, et cystidis fel- » leae subditis obvenire, sed obvenire potissi- » mum, ut diximus, inter homines irregulariter » viventes, praecepta Religionis, et moralis floc- » ci pendentes, et impulsui destructionis sui » ipsius, ut appetitus depravati speciei, ceden- » tes: haec omnia si perpendamus, suicidium » eo casu excepto, ubi revera signa alienatae » mentis adfuere, potius pro *effectu oblivionis » criminalis officiorum erga Deum, et Rem- » publicam*, quam directe pro effectu morbi » habemus. Qua de caussa, si nostra quidem » in foro auctoritas admitteretur, id solum im- » petrare vellemus, ut petitione principii non » semper peccetur, qua quivis sui ipsius car- » nifex ob id ipsum, quod sibi violentas manus » intulerit, pro maniaco, quod imprimis esset » demonstrandum, declaratur, utque quovis in » casu rerum circumstantiae, ex quibus de- » functum aut pro mente prius capto, aut pro » criminis reo habere licet, exacte eruantur, » ne leges in suicidas, quas sapientiae Veterum » debemus, pueriliter eludantur. « « La plupart » des médecins, sic etiam *Régnault* *1 loqui-

*1 Op. citat. p. 110 . . . . , 120.

» tur, ont considéré le suicide comme une » variété de la folie; à leurs yeux ce n'est » pas un acte de liberté, c'est un acte de né- » cessité. Cette erreur n'aurait pas besoin d'être » combattue, si elle n'était passée en principe » dans tous les écrits qui traitent de la folie. » . . . . Le suicide peut être le » symptome ou le résultat de l'aliénation; mais » seul, il ne constitue jamais une aliénation ». Illud suicidium imputabile dicens clar. Prof. *Martini* *1, ad quod effraenes cupiditates vel depravata ratio perducunt, subdit: « si vestigio » temporis extra medicinae forensis limites di- » gredi liceat, fatemur nos eo inclinare, ut fere » semper suicidium sit criminosum habendum. »

V. Quum homini ex suimet judicio imminet decretum, ex quo esse vel non amplius esse *2 debeat, quinam reapse illius animi status sit quis audebit tuto definire? Cura in muneribus perfungendis et solertia in propriis consulendis negotiis paucis vel etiam horis antequam *fe-lo-de-se* homo factus sit, illum absoluta agendi libertate gaudere certissima non sunt indicia: plurimi ex suicidis in quibus morbi existentia haud potest in dubium revocari omnimodo

*1 Elementa med. forens. t. 1, p. 55.

*1 To be, or not to be what is the question.

Sakespeare: Hamlet.

eorum inclinationes celare student ut, decepta aliorum vigilantia, libere mortem petere possint. Propensionem ad suicidium saepissime a caussis omnino ab hominis voluntate non dependentibus progigni sat confirmatum est, inter quas, illis fortuito incidentibus etiam exemptis, haereditarias frequentissime ad suicidium praedisponere nemo inficiabitur. Mirum et uno eodemque tempore terribile, dicit Falret *1, melancholiam suicidam inter omnes insaniae species illam forsan esse, quae facilius per haereditatem transmittitur; hujus enim praedispositionis potuit saepenumero effectus funestissimos observare. Filiam vidit domi *Salpetrière* quae ter se submergere tentaverat; soror illius jam paucis ab hinc annis sibi per submersionem mortem intulerat. Matrem cognovit atque nepotem melancholia suicida laborantes, quarum avia eadem de caussa in aede *Charenton* erat inclusa, uti etiam inter superioris ordinis insanientes nepotem, matrem et filiam simili morbo detentas. Cuiusdam, qui Lutetiae Parisiorum vitam sibi ademerat, frater, dum funeris exequias prosequebatur, cadaver ejus conspiciens, « Quaenam, exclamavit, fatalis necessitas! jam pater, avus vitam abiecere: frater meus ipsos imitatus est, et me in Sequanam

*1 De l'hypochondrie et du suicide, p. 6.

projicere in meo itinere vicies etiam animum meum cupiditas incessit ». Et ne aliis utamur exemplis, omnibus constat historia quam refert Gall *1 divitis Gautier, cujus septem filii per commercium paternam haereditatem adhuc adaugentes, qui etiamsi nunquam infortunia passi fuissent, integra fruerentur valetudine, et generali florerent existimatione, omnes tamen propensione invincibili ad suicidium angebantur, atque intra annorum triginta, vel quadraginta spatium alii suspendio, alii submersione, aliique sclopetaria glande mortem oppetivere. Alteram idem Gall narrat *2 totius familiae per suicidium extinctae. Esquirol refert et ipse *3 de locuplete mercatore, homine violentissimo, cujus ex sex filiis, quinque necem sibi intulerunt, quod etiam sexto accidisset, nisi continua vigilantia amantissima ejus conjux id praecavisset.

VI. Sed talia fando, primas suicidii menti occurrentes ideas non illico reluctatas, quin imo adblanditas; invadentem cupiditatem ab initio non responsatam, sed illi contra sponte occasionem suppeditatam; non rectum educationis modum, et sanctissimae Religionis no-

*1 Sur les fonct. du cerveau, t. IV, p. 345.

*2 Op. cit., p. 350.

*3 Dict. des scienc. méd., art. Suicide.

strae praeceptorum contemptum suicidio favere non posse quam maxime ab opinione distamus. Legum benignitas erga suicidas legumlatorum humanitatem equidem revelat *1; ipsarum tamen rigorem saepe profuisse legimus. Suicidium apud Egyptios per Agesiae declamationes frequens factum, Ptolemaei lex paena mortis multans quoscumque Zenonis doctrinam docuissent eradicavit. Cadavera Milesiarum virginum suspendio spontaneo demortuarum nuda in foro publico senatus jussu exposita reliquas absterruerunt et morbus praepeditus fuit. Nigritae in Americam exportati Africam revisuros fore sperantes se interficiebant: insaniam istam amovere potuerunt Angli manuum amputationem imperantes illis qui sui occisores facti fuis-

*1 Il suicidio è un delitto, che sembra non potere ammettere una pena propriamente detta; poichè ella non può cadere che o sugli innocenti, o su di un corpo freddo ed insensibile. Se questa non fa alcuna impressione sui viventi, come non lo farebbe lo sferzare una statua, quella è ingiusta e tirannica perchè la libertà politica degli uomini suppone necessariamente che le pene siano meramente personali. Gli uomini amano troppo la vita, e tutto ciò che li circonda li conferma in questo amore. La seducente immagine del piacere, e la speranza, dolcissimo inganno de' mortali, per cui tranguggiano a gran sorsi il male misto di poche stille di contento, gli alletta troppo, perchè temer si debba che la necessaria impunità di un tal delitto abbia qualche influenza sugli uomini. Chi teme il dolore, ubbidisce alle leggi; ma la morte ne estingue nel corpo tutte le sorgenti. Qual dunque sarà il motivo che tratterrà la mano disperata del suicida?

Beccaria, dei delitti, e delle pene, § XXXV.

sent. Suicidium epidemico fere modo per plurimas regiones ex simplici imitatione grassatum fuisse quum ex historia pateat, ne ad suicidas imitandos homines commoveantur, modus quo diaria publica apud nonnullas gentes ipsius casus palam faciunt, summopere improbandus.

VII. Haec quae nuper directe de suicidio monuimus, pro thesi nostra sufficiant; quid autem de ipso existimandum sit, non facile est judicium: nobis attamen videtur plerumque ad insaniam pertinere, ac ideo fere nunquam imputabile esse.

VIII. Verum quidem in dissertatione ex medicina theorico practica insaniam diximus infirmitatem specialem organorum facultatum intellectualium et affectivarum, sive instinctivarum, et quid in specie pro mania, dementia, monomania, atque stupiditate intelligamus jam definivimus: ast cum in mente nobis sit ad nullam peculiarem disquisitionem devenire, utile ducimus de ipsius characteribus certiores adhuc fieri, et investigare quid requiratur ut quispiam revera sub insani nomine in societate enumerandus sit; quae scilicet conditiones ad insaniam constituendam necessariae existimentur, et quibus notis juxta auctorum definitiones insigniatur. In hoc enim libenter insistimus quia persuasum habemus omnes cuiuscumque

generis quaestiones, maiori certitudine solvi et dilucidari posse, quum rei controversae magis accuratae et perspicuae notiones habentur. Animum insuper sumimus, quia quae olim inter Kant et Metzger acerrima vigebat disputatio, nunc temporis a Parisiensi jurisconsulto *1 contra medicinam iterum excitetur. An medicis nimirum facultas competat in forensibus de vesaniis questionibus judicium proferendi.

IX. Legum iste peritus axioma omnium temporum, et legumlatorum auctoritate sancitum est oblitus: immemor videlicet in omnibus peculiaribus rerum adjunctis, ne aliqua de caussa in re disputata dubium in judicis mente adesse possit, ad peritos quoque peculiarium artium confugendum esse. Nec propria tantum, sed cujusdam medicinae sectatoris *2 auctoritate fretus, ad suam roborandam assertionem talia in medium adducit quae sequentia sunt.

*1 Elias Régnault. — Si les médecins connaissaient parfaitement la nature et le siège de la folie, toute discussion cesserait; mais c'est là qu'est toute la question; et c'est dans cette question que je ne crains pas de prononcer contre eux. — Id. op. cit., p. 4.

*2 Si la loi veut que les médecins soient consultés sur la folie, c'est sans doute par respect à l'usage; et rien ne serait plus gratuit que la présomption de la capacité spéciale des médecins en pareille matière. De bonne foi, il n'est aucun homme d'un jugement sain qui n'y soit aussi compétent que M. Pinel, ou M. Esquirol, et qui n'ait encore sur eux l'avantage d'être étran-

Perpendamus igitur, inquit, utrum insania aliquo stipetur speciali et peculiari symptomate adeo distincto, ut medicus de hujus morbi existentia pronunciare possit, atque ipsum cognoscere quum caeteris hominibus adhuc latet: nam in hisce adjunctis solummodo medici consilium in foro necessum erit. Quum insania evidens est, haud opus erit perito, iste enim utilis non erit nisi quando dubium adesse potest, quod tunc ejus sententia amoveret. Insaniae symptomata in duas classes distribui possunt.

1.° Perturbationes intellectus et cogitationis, quod constituit delirium.

2.° Perturbationes quae succedunt in functionibus organicis, uti essent irritatio cerebralis, incrementum actionis cordis, affectiones tubi intestinalis, calor cutis.

Harum duarum symptomatum classium postrema illa est, quae unice ad medicinae provinciam pertinet: peritus solum recte ipsam dignoscere valet, atque judicare. Quod vero ad primam spectat quisque, vel indoctus etiam, statim illam perspiciet. Quis enim erit ille qui

ger à toute prévention scientifique. Par malheur, les médecins ont pris au sérieux cette politesse des tribunaux, et dans l'examen des questions qui leur sont soumises, ils substituent trop souvent aux lumières naturelles de la raison les ignorances ambitieuses de l'école. M. le Docteur Urbain Coste. — Journ. univ. des sciences médicales, t. XLIII, p. 52, juillet 1826.

morbi naturam non indicabit infelicis agricolae qui in absoluta miseria de exercitibus, famulis verba faceret, qui super lectulum fictitios enumeraret thesauros? Quis insaniam non videat in illo qui crura vitrea possidere putans ne passum quidem movere audet, ne ipsa abrumpantur, et illius qui mictum retinet, ne per ipsum cataclysmus iterum locum habeat? Sic quotiescumque delirium adest generale vel partiale, inutilis evadet medici affirmatio, nam quicumque recto sensu praeditus pariter ac ille istam videbit. Parum equidem refert delirium ab insania progigni, vel alio quoviscumque gravi morbo; homo qui in hujusmodi statu reperitur, etiamsi coram lege vituperabilem actionem patraverit, imputabilis tamen non erit.

Supersunt adhuc alterius classis signa, ex quibus, si aliquod erit quod unice ad insaniam referatur adeo ut ad ipsam infallibili modo indicandam potis sit, tunc ad medicum veniendum, qui solus haec symptomata cognoscere atque existimare potest. Nunc, quaeso, dicant omnes bonae fidei medici utrum ipsi de insania pronunciare audebunt ante quam delirium patefactum sit ex ea tantum caussa, qua pulsus vibrans est, lingua albida, vel leviter lutea, cutis sicca, quia agrypnia adest, cephalalgia, valetudinis, et obesitatis imminutio, vel men-

struorum suppressio in foeminis? Colligat, vel secernat utcumque velit haec symptomata medicus, nulla reperiet quae alias quamplurimas affectiones etiam non comitentur: et tunc medicum ipsum, delirii manifestationem expectare oportebit, ut queat circa hanc rem tuto pronunciare.

Nihili quapropter existimans omnia praecepta et consilia per infinitos labores, et diuturnam observationem a quamplurimis doctissimis viris deducta, quae narravimus, contra medicinae jura Elias Regnault emisit.

X. Ut citius cum isto scriptore quaestionem dirimamus, quae nam argumenta ad illius oppositiones refellendas praesto sint videamus. Et 1.° observamus quod ad insaniae sedem, de ista non posse dubitari, hoc enim ex illis quae in altera dissertatione protulimus, nobis satis probatum esse videtur. Quod vero ad ejus naturam spectat, illam non aliter ac aliorum morborum nervosorum considerandam esse superius etiam diximus et demonstravimus.

2.° Insaniam distinctis et peculiaribus symptomatibus stipari non est dubium; haec nimirum sunt intellectualium et affectivarum facultatum perturbationes quae absque laesione vel irregularitate in cerebri organorum functionibus existere nequeunt. Attamen quum

de vesaniae existentia coram magistratu statuendum est, non unico tantum symptomati fidem indubitatam praebet medicus, sed plurima ex caussis, aliorum viscerum conditionibus, physionomia, criteria deducit. Et revera quis prudens et probus judex de crimine et poena per ipsum infligenda ex levi vel unico indicio et argumento pronunciabit?

3.° Concedimus neminem denegare posse insaniam in homine qui dicit et putat crura vitrea habere, fictitios possidere thesauros; ast non ita facile negotium facessit eruere utrum reapse adsit mentis error, ex quo de insania judicium ferre possit peritus. Quamobrem, si talia praedicare sat esset, quis post criminosam actionem insanum se non exhiberet? quis vincula, foedera, conventiones omnes sociales propriae utilitati non amplius consentaneas existimans, fraudolentus, callidusque non dissolvet?

4.° Si delirio semper insania manifestaretur, isto absente, nemo certe imprudens illam adesse dicere posset: attamen quaedam sunt, quae artis perito illius aggressionem probabili modo portendunt: secus insania non semper delirio comitatur: inferius vero quid sub istius nomine intelligatur videbimus. Sed quid plura? Apparet illum jurisconsultum insaniam saepe

fingi posse penitus ignoravisse; quo in casu, ad simulationem detegendam si medicus non sufficeret, eo minus physiologiae et pathologiae, medicinae uno verbo nullas habens notiones.

XI. Omnes medico legales quaestiones quod ad insaniam faciliori modo definiri possent, si numquam de illius existentia adesset dubium: illum enim qui reapse insanus est omni legum vinculo solutum esse a nemine contenditur. At plane contraria res se habet: dissimulari scilicet, simulari, vel etiam imputari saepe solet. Illud interim (antequam ad nonnullorum auctorum sententias insaniae definitiones et characteres respicientes expendendas ulterius progrediamur) animadvertendum esse censemus nos, insaniam, quo tempore intermittit, utpote non adesset existimare, ideoque qualiacumque intermittentiae tempore homo egerit, nulla ratione a communibus reipublicae statutis excipienda esse. Quam nostram opinionem roborant inter medicinae forensis scriptores, *Zacchias* *1, *Mahon* *2, *Foderé* *3, *Barzellotti* *4, *Martini* *5. *Riccard* et *Bougion* inter veteres jurisconsultos, atque ex recentioribus *Merlin* *6. Prudentis-

*1 Quaest. med. leg. lib. 2, tit. 2, quaest. 21.
*2 Méd. lég. t. 1, p. 346.
*3 Méd. lég. t. 1, ed. 2, p. 283.
*4 Med. leg. p. 183, t. 1. Bologna 1823.
*5 Introd. alla med. leg., p. 97, vol. 3.
*6 Rép. univ. ecc., t. 5, p. 266 et p. 389.

simum tamen, et quidem ex nostri praeceptoris *Martini* consilio, nec aliter imo judicandum, non illico ab accessus remissione ad aliorum civium jura hominem restituere; sicuti etiam non omnino sui compos ille habendus ab aliquo tempore prius quam insaniae explosio manifestissima facta fuerit. Observatione enim constat, nisi violenta forte caussa accesserit, insaniam generatim non repente veluti fulmen percellere.

XII. Quid sit, et quando adsit insania ex auctorum sententiis nunc erit videndum. En quid proferant.

Aretaeus. *Est enim ex toto mentis alienatio diuturna absque febre, etenim si febris quandoque conjungitur, id non ratione furoris proprie, sed alio quovis casu contingit.*

Sauvages et Burserius. Delirium ferox et audax.

Chiarugi. Delirium diuturnum cum primitiva affectione organi cerebralis et sine febre.

Frank Joseph. *Morbos chronicos in privatione usus rationis circa unum vel plura objecta consistentes, qui aegrotos officia in civitate obire prohibent, et eosdem a conversatione cum aliis excludunt, manias nuncupamus.*

Georget. Est affectio cerebri idiopathica; natura aberrationis nobis incognita . . . . . distin-

gnitur ipsa laesione cerebralium functionum, scilicet intellectualibus perturbationibus, seu delirio.

Spurzheim. Est hominis status, qui non amplius aptus est ad distinguendam perturbationem operationum mentalium, et qui necessitate agit.

Gall. Alienationem mentalem opinor adesse, quoties ideae vel sensationes, generatim, vel particulatim, cum legibus functionum organismi regularis, et cum vero externarum rerum statu haud concordent.

Broussais. Interruptio diuturna modi actionis cerebri.

Foville. Est perturbatio facultatum intellectualium cum illa sensationum et motus sociata vel non, absque laesione gravi et diuturna functionum organicarum.

XIII. Enunciatis auctorum sententiis observamus:

Aretaeo. In insania mens ex toto non aberrat.

Sauvages et Burserio. Non semper ferox et audax est insania, nec delirio necessario consociatur.

Chiarugi. Delirium non semper adest, nec in omnibus casibus a primitiva cerebri affectione insania pendet.

Frank. Insanus non semper omni ratione captus, sed ista a falsis ideis male directa saepissime manifestatur, vel in proclivitates impotens.

Georget. Non satis accurata haec definitio, siquidem nec omnes cerebralium functionum laesiones in intellectualibus perturbationibus consistunt, nec istae semper delirium constituunt.

Spurzheim. Concedimus hos binos status insaniam constituere posse, at observamus necessum non esse, ut simul utrique adsint ad ipsam efficiendam.

Gall. Functiones a legibus organismi regularis deflectere in insania et nos fatemur, at videtur ideas et sensationes cum vero externarum rerum statu concordare aliquando haud posse quin tamen adsit alienatio mentis. Revera Cajus ictero laborat, omnia videt flavo suffusa colore, ideae, seu imagines rerum, et sensationes cum vero corporum statu tunc haud consentiunt; Cajus tamen hoc morbi effectum esse scit, et judicat, nec in ipso mentis aberratio. Contra: ideae et sensationes cum vero externarum rerum statu conveniunt quandoque, insania nihilominus manifesta. In mania et ipsa hoc evenire potest; sed aliud adducamus exemplum. Titius perfecte de re quacumque externa ratiocinatur, omnesque istas bene videt, cognoscit: Titius

vero statum socialem proprium obliviscitur: se Deum nuncupat. Certe insanus.

Broussais. Non ab interrupto actionis cerebri modo insania saepissime repetenda est, sed ab irregulari: caeterum modum exterioris manifestationis insaniae nunc quaerimus.

Foville. Iterum dicimus perturbationem facultatum intellectualium unice in insania non semper concurrere.

XIV. Inquirendum adhuc est quid velint scriptores medicinae legalis, ut homo delirus, vel insanus (ista enim vocabula pro synonimis generatim habentur) dicendus sit. « Sed prudentissime ex mea sententia, dicit *Zacchias* [1], » a jurisconsultis generatim loquentibus firmatum est, non sanam mentem deprehendi potissimum ex factis et verbis. Cum autem actus » hi in duplici differentia sumi possint, nam » quidam corporei sunt, quidam vero qui civiles dici non injuria debent, ex utrisque » male ac non debito modo patratis signa haberi possunt non sanae mentis. Quod ad corporeos namque actus patet, dementes facile » deprehendi, ut cum ambulantes lutum non » devitant, nec malos passus, aut cum videntur » ambulantes, ire non quo finis aliquis determinatus, ac certa voluntas, sed quo pedes

1 Op. cit. p. 106.

» illos ducunt, aut cum actus quosdam absur-
» dos et insulsos effingunt, ut os distorquen-
» tes, torvis oculis intuentes, membra aut uni-
» versum corpus irrationaliter agitantes et com-
» moventes; ex solis enim ejusmodi gestibus,
» ac motibus inconcinnis, et apud jurisconsul-
» tos, lapides projicere pro signo habetur non
» sanae mentis. Apertius porro significatur de-
» mentia ex civilibus actibus; nam siquis ex. c.
» quos debet non salutet neque revereatur,
» infimas vero personas et quas non debet ho-
» nore afficiat; illarum quidem consuetudinem
» devitet, harum vero affectet, cum ipse in
» priorum numero existat. Porro ex verbis de-
» prehenditur etiam mentis inconstantia, et ex
» hoc nomen sibi sumpserunt fatui, quia fando,
» hoc est loquendo fatuitatem suam manifestant,
» ex qualitate verborum, ex eorum ordine, et
» ex modo loquendi, ex audaci responsu ab
» homine composito et miti malum portendunt,
» quia in phrenesim lapsum portendunt *1 ».

Ut ad maximam significationis simplicitatem reducamus, ait *Barzellotti* *2, qualemcumque mentalem aberrationem quae in vigilia succedit,

*1 Instituere ac velle ea quae prius non consueveras, aut contrarium iis quae fuerint consueta, malum et proximum dementiae. Hippocrat. Coac. praenot.

*2 Oper. citat. p. 169, t. 1.

siquidem quotquot sunt in nulla alia re proprie consistunt, nisi in erroneis judiciis a falsis conceptibus ortis, ex quibus irregularia eveniunt ratiocinia, cujuscumque generis istae affectiones sint, delirii nomine definiri possunt.

Interim dicam delirium esse falsum judicium, vel falsorum judiciorum seriem in homine vigili, mendacium, vel phantasticarum perceptionum, atque fallacium idearum associationum caussa, inordinatas generatim atque exaltatas commotiones producentem.

Quotiescumque aliquis se praebet in ejus judiciis, in suis inclinationibus a modo quo se pro more exhibere solet diversum, vel quo caeteri generatim apparent; dummodo istiusmodi status a mentis abstractione non pendeat, delirium dicitur. Haec sunt indicia, per quae ex clar. Prof. *Martini* opinione *1 delirium dignoscitur.

XV. Neminem insanum esse, ait *Buchez* *2, nisi quod aliquis ipsius sensus vel internus, vel externus aberrat. Nunquam insaniam adesse, quin sensuum internorum adsit error cum nunc laudato auctore admittimus. At non idem censemus de externis. Propositionem autem melius

*1 Op. cit. v. 2, p. 280.

*2 Introduction à la science de l'histoire ; t. 1. Physiologie sociale, p. 181. Bruxelles 1834.

dilucidandam esse existimamus. Sic enim opinionem nostram enunciantes, quomodo cum expositis auctorum sententiis consentientes simus, vel ab illis dissimiles, demonstrabimus.

XVI. Insania et delirium chronicum, vel etiam nulla sui conscientia tamquam idem sonantia a quamplurimis scriptoribus considerata fuerunt; quandoque tamen insaniam absque delirio existere posse nonnulli, nuperi praesertim, rati sunt.

Revera si delirio primigenia significatio, juxta ejus probabiliorem aethimologiam, de *lira* nempe, ut dicunt, seu *recto rationis* recedere et aberrare, immutabiliter tributa fuisset, omnes plane disquisitiones evanescerent circa hujus vocabuli vim, et tunc nulla absque delirio insania esset; nam certe qui insanus est a recta norma recedit; et omnes viceversa qui a recto rationis recedunt insani essent. At diverso, et vago etiam, nec sat recte determinato modo, apud auctores interpretatum fuisse legimus. Quapropter quid sub illius nomine, ut scriptorum dissidentia componatur, ex nostra sententia intelligi possit, dicamus oportet, priusquam de insania, qnot scilicet sub adspectibus considerari ipsa debeat, proferamus. Fatemur equidem logice delirium definire arduum esse. Etenim in definitione valde generalibus characteribus

innixa plurimi comprehenderentur, qui tamen insani non habentur; in nimis circumscripta contra plures excipiendi essent, qui universim delirantes considerantur.

XVII. In difficili re, ne in Scyllam incidamus Carybdim vitare cupientes, dicimus hominem delirum esse, quum ejus internorum sensuum errorem non amplius agnoscit, atque verum praesensque credens quod menti suae ab illis objicitur, et in ipsis tantum est, vel non existere quod sensus ejus solummodo, ut prius, minime amplius tenent, persuasum habens, judicium, vel seriem judiciorum aberrationi consentaneorum, verbis et actionibus vigil manifestat.

Organa cerebralia tum memoriae et comparationis, tum facultatum instinctivarum, et sensus internos pro synonimis hic habemus; quomodo vero isti aberrare soleant in thesibus ex medicina theorico-practica, § XII, vidimus.

XVIII. Superiori innixi delirii definitione primum insaniam nuncupamus necessitatem manifestandi verbis vel factis aberrationem in organis internis sedem tenentem: illamque dicimus esse

1.° Absque delirio, et cum nulla morbi, atque actionum ab ipso inductarum conscientia: hujus enim nomine nos late intelligimus actionum qualitatis cognitionem.

2.° Absque delirio, et nulla aberrationis conscientia, sed illa tantum actionum.

3.° Cum delirio et absque aberrationis notione, sed cum actuum conscientia.

4.° Sine delirio, cum aberrationis et actuum conscientia.

Primus status concipi difficillime potest, nisi exempla ducere velimus a somnambulis, epilepticis in accessu, ab idiotismo, et ab affectionibus cerebralibus acutis quandoque et a dementia perfecta, quae rarissime succedit, agitationi vel furori etiam sociata.

Alterius generis mania simplex vel furore pariter comitata saepe argumentum praebet. Nescius nimirum maniacus morbi, seu caussae intrinsecae qua ineluctabili modo ad loquendum, deambulandum, abnormiter gesticulandum, atque etiam ad percutiendum cogitur; se loqui tamen scit, deambulare, gesticulari atque percutere, rerumque omnium servat memoriam et notionem, nec semper delirat.

In tertio genere maximus, insania circumscripta detentorum, numerus est recensendus, qui a sensuum fallacia, et erroneo judicio tametsi ad agendum impellantur, suarum actionum qualitatem haud ignorant.

Quartae demum speciei locum dari posse non omnibus arridet sententia. Ipsam tamen

existere posse quandoque non dubitamus. Nisi enim subtiliter conscientiam actionis ab illa istius caussae, seu interioris necessitatis distinguere vellemus, hic status in ipsamet mania furori etiam sociata saepe observaretur. Ast hocce phoenomenon cum partiali affectivarum facultatum laesione magis distincte deprehendi observatione confirmatur. « Je ne fus pas peu » surpris de voir plusieurs aliénés qui n'offraient » à certaines époques aucune lésion de l'enten- » dement, et qui étaient dominés par un ins- » tinct de fureur, comme si les facultés af- » fectives seules avaient été lésées », ait *Pinel*, pluribusque exemplis propriam assertionem roborat *1. Ad veritatem porro confirmandam sententiae nostrae circa hanc rem liceat etiam nobis, quin alia plura ab aliis auctoribus inde petamus, celeb. *Esquirol* ipsamet verba *2 adducere. « La folie partielle n'a pas toujours » pour caractère l'altération de l'intelligence; » quelquefois les facultés affectives sont seules » lésées; quelquefois on n'observe de désordre » que dans les actions. C'est ce que les auteurs » ont appelé *folie raisonnante*. La folie par- » tielle a été observée dans tous les temps, » dans tous les lieux, et décrite par les poëtes,

*1 Traité de l'aliénation mentale. Paris 1809, in-8.°, p. 157.
*2 Note sur la monomanie homicide, p. 1.

» les philosophes, les historiens, les légistes, » et les médecins. La folie partielle était con» fondue tantôt avec la manie ou la démence » furieuse, lorsqu'elle porte à des actes de » fureur, tantôt avec la mélancolie, lorsqu'elle » est caractérisée par la tristesse, l'ennui, la » morosité, la crainte, etc. »

XIX. Severitati distinctionum et divisionum insaniae studentes ex inopinato et aegro animo nunc in quaestionem incidimus de monomania homicida, quae ad descriptum genus quandoque spectaret.

Haec terribilis propensio, qua homo ad hominem destruendum insuperabili modo impellitur, delirio comitata, non tam infrequenter occurrit. Absque delirio autem vel nunquam adesse, vel, si quandoque etiam eveniret, veluti non existentem a magistratibus considerandam esse non desunt qui rati sint *1. Dissertationis nostrae limites et modus quos nobis proposuimus, nos impediunt quominus tanti momenti quae-

*1 La monomanie homicide ne peut être admise par le juge. Quand même cette affection existerait dans la nature, elle est pour lui comme si elle n'existait pas, etc. — Régnault op. cit., p. 106. Eandem fere opinionem emisisse M. de Peyronnet quum de Papavoine imputabilitate quaestio agebatur, affirmat Georget: Discuss. méd. lég. sur la folie, suivie de l'examen du procès criminel d'Henriette Cornier, etc., p. 2. — Cum dictis, modo tamen minus generali, convenire etiam videtur Hoffbauer, p. 105 et seq. op. cit.

stionem agitare valeamus. Praestat attamen breviter observare injustam nobis enunciatam opinionem videri. Nam etsi fortunate rarissima haec affectio succedat, quum tamen eveniat, non videmus cur hisce in peculiaribus casibus aegrotans qualis criminosus habendus sit, et legum clementiam potius quam illarum vindictam miserrimus homo tunc non mereatur. Accidit inquimus, nec hujus horribilis necessitatis apud gravissimos auctores exempla etiam desiderantur *1. Et si Auctorum observationes, quod utinam esset! deficerent, magis obvium et invictum argumentum ad confirmandam insuperabilem propensionem ad destruendum hydrophobia suppeditaret. Consanguineos, adstantes ut recedant, imo ut ipsum vinculis coerceant, ineluctabilis, qua torquetur, mordendi et destruendi instinctus conscium hydrophobum monere et obsecrari, quibus hujusmodi infelices aegrotantes videre occasio se praebuit, omnes testantur.

XX. Quotuplici sub adspectu, et quibus

*1 Dans d'autres cas, le monomoniaque homicide ne présente aucune altération appréciable de l'intelligence . . . . . il est entraîné par un instinct aveugle, par une idée, par quelque chose d'indéfinissable qui le pousse à tuer; et même alors que sa conscience l'avertit de l'horreur de l'acte qu'il va commettre, la volonté lésée est vaincue par la violence de l'entraînement; l'homme est privé de la liberté morale, il est un monomoniaque, il est un fou. Esquirol in not. ad op. Hoffbauer, p. 512.

modis respici, et considerari insania possit, determinata quaestione; quando illa simulata sit, dissimulata, vel imputata, statuere magis arduum opus est absolvendum.

Simulatur enim quum homo insanus vult existimari, ut meritam criminis poenam evitare possit, vel ne ad statuta cum aliis foedera observanda cogatur, ut etiam militiae servitio eximatur.

Dissimulatur quando consanguineos interest celare hominem fuisse, vel etiam esse posse insanum, tum ut validae habeantur testamentariae dispositiones, conventiones, foedera, cum etiam ne qua homo indutus est auctoritate destituatur. Dissimulatur alias ab ipsomet insano, qui astute dominantes ideas abscondit, atque inclinationes, ut majori libertate frui possit, atque ut minus ejusdem actiones perscrutentur, et facilius finem quem vult, consequi possit, se destruendi nempe, ulciscendi, etc. Imputatur demum a consanguineis, vel ut conjunctum a legum justitia et severitate subtrahant, vel ut dirimi possint omnes dispositiones, conventiones, etc. initae, quarum ipse auctor fuerit, atque ut sponsus, pater, civis, facultate quodcumque officium gerendi in societate orbari possit, et ejus interdictio a legibus obtineatur, imo, quod saepe evenit, ut in aliqua

aede ad insanos recipiendos dicata includatur.

XXI. Veritatem detegere, quum in foro hujusmodi agitantur quaestiones, non tam expeditum certe medico erit. Junium Brutum ex industria factum ad imitationem stultitiae, qui nam illi fuisset animus omnibus per longum tempus celare potuisse, tradit Livius. Multa vero haberi poterint a caussis, tum occasionalibus, tum praedisponentibus, ab iis quae generatim insaniam praecedere solent, et ab hominis adspectu;

Est animi speculum facies, oculique revelant
Quales sunt intus mens, animusque viri.

Caeterum variae esse possunt peculiares conditiones, quibus medicus inniti potest ut magis prudenter judicium proferre valeat, istasque a diversitate quaestionis, quae ab ipso erit solvenda, atque a specifica insaniae simulatae, dissimulatae, atque imputatae indole deducet.

THESES

EX COMMENTARIIS EXCERPTAE.

EX PHYSICA.

DE ATMOSPHAERA.

I. Fluidum illud elasticum, quod tellurem quaquaversus ambiens, suis oscillationibus sonum, ac dimotionibus ventum producit, aër atmosphaericus dicitur.

II. Atmosphaeram ad magnam altitudinem super tellurem assurgere, consentiunt Physici: haec vero indefinite extenderetur, nisi attractio Newtoniana limites quadantenus imponeret.

III. Aër fortiter compressus, intra quosdam limites densatur, juxta legem Mariotte; praeter quos, ut caetera fluida aëriformia, in liquidum verteretur.

IV. Ejus gravitatem, omnium primus suspicatus est *Galileus*: experimentis autem comprobarunt *Toricelli*, et *Paschal*: pressio columnae atmosphaericae exaequat illam, quam ederet columna barometrica, eamdem basim praeseferens.

V. Elasticitate pollere, detexerunt *Boyl*, et Academici Florentini: invictisque experimentis demonstrarunt *Muschembroek* atque *Roberval*. Compertum quoque est aëris strata eo densiora esse, quo propius ad telluris superficiem accedunt.

VI. Aër modico sub volumine inconspicuus; immensis in spatiis, caeruleum colorem exhibet: quod phaenomenon, ex lucis per aërem refractae modificationibus, eruendum est.

VII. In disquisitione positum fuerat, utrum gaz acidum carbonicum ad partes aëris constituentes esset referendum, nec ne? Nos innixi observationibus, et experimentis variis in plagis circa aëris compositionem habitis, et spectato officio cui incumbere videtur, ad constituentes partes spectare haud dubitamus.

VIII. Aërem veluti elementum habuerant veteres. *Hooke* primus docuit, aërem ex duplici parte constare: altera respirationi opportuna: inepta altera: *Majow* illam spiritum nitro-aëreum appellavit: *Priestley* aërem dephlogisticatum. *Lavoisier* demum comprobavit aërem atmosphaericum ex tribus elasticis fluidis constare; nimirum gaz oxigenio, gaz azotico, et gaz acido carbonico.

IX. Ex eudiometricis observationibus compertum est, aërem atmosphaericum constare ex 0. 21 gaz oxigenii: 0. 78 gaz azotici: 0. 1 gaz acidi carbonici: haec autem fluida in omnibus atmosphaerae regionibus sunt aequabiliter confusa.

X. Atmosphaera in nos agit per varias suas conditiones: videlicet per qualitates physicas et chemicas.

EX MATERIE MEDICA

DE COLCHICO.

I. Stirps bulbosa ad hexandriam trigyniam L. et ad familiam colchicacearum spectans floribus roseis aut albidis in pratis nostris, autumno obvia, et hyemis praenuntia Colchicum autumnale est.

II. Genus colchicum ex Colchide, ubi species, de qua sermo est, abundat, nomen habuisse videtur. Bulbus autem, semina, et flores Colchici usu medico veniunt.

III. Bulbus extus involucro fusco stipatus hinc rotundatus, illinc planiusculus flores profert autumno, folia vere; semina ad maturitatem perducuntur mense iunii, dein bulbus corrugatur, et marcescit, superest autem ad latera ejus alius bulbus, quo vegetationis phases, perinde ac a priore, ex quo originem duxit, absolvuntur.

Praestat bulbum Colchici augusti mense legere: per illud enim tempus omne adeptus est incrementum, atque omnem efficaciam: succum continet lacteum, et acrem, ejus sapor amarus, et fervidus est. Bulbus lectus at-

que mundatus in taleolas secatur, ne vegetare pergat: taleolae autem sub sole, aut in clibano, vel loco calido, sicco, et perflato siccantur ad usum.

IV. Bulborum omnium id proprium est, ut postquam vegetare coeperint, multo minori efficacia donentur sive ad usum oeconomicum, sive ad medicum. Quamobrem bulbos Colchici e tellure depromere praestat antequam flores protruserint, etsi haud ita facile sit eos adinvenire, qui satis profunde in terra stant, nec foliis, aut floribus aestiva tempestate externa sui indicia praebent.

V. Ad analysim chemicam bulbum Colchici perduxerunt *Melandri*, et *Moretti*, *Bouillon-Lagrange*, atque demum *Pelletier* et *Caventou* ex quibus constat materiem pinguem, elaina, stearina, et acido cevadico conflatam, gallatem acidum Veratrinae, materiem colorantem flavam, gummi, amylum, inulinam, lignosum principium in eo contineri.

VI. Veratrina anno 1819 a *Meysner* in Sabadilla primum inventa, alkaloides est ex cuius minimis dosibus animalibus propinatis ventriculi inflammatio producitur, tetanus, et mors. Colchici autumnalis virtus ab hoc alkaloide potissimum procedit; ejus autem proportio major esse videtur in Colchici bulbo, qui opportu-

num adeptus est vigorem, nec flores adhuc protrusit.

Juniores autem bulbi e floriferorum latere nati, uti superius meminimus, principium saccharinum continent ex *Melandri*, et *Moretti*, quod per hyemem in Veratrinam abit. Caeterum bulbi Colchici decocti acritatem amittunt, atque ex ipsis faeculam alibilem Tritici faeculae valde affinem magna copia eduxerunt *Parmentier* et *Giobert*.

VII. Constat veteres vim bulbi Colchici venenatam novisse, nec adhibuisse nisi usu externo, vel collo appensum, scopo pestem praevertendi.

Stork autem post experimenta in semetipso habita, et institutas ad aegrotantium lectos observationes, medicamentis usu interno adhibendis Colchicum accensuit, et tamquam Scillae succedaneum habuit.

VIII. Ex Colchici modica dosi ingesta ardoris sensus in stomaco producitur cum nausea: pulsus frequentia imminuitur: virium depressio consequitur, uberior fit urinae secretio, et alvus movetur. Ex paullo majori dosi sensus producitur suffocationis perinde ac a caeteris medicamentis, in quibus Veratrina continetur: praeterea plures alvinae evacuationes cum torminibus excitantur. Magnas autem doses lypo-

thimias, tremores, tetanicas contractiones, et mortem hominibus adduxisse auctorum observationes testantur: similiaque phoenomena in canibus a Colchico propinato animadverterunt *Stork* et *Home*. Ventriculum post animantis mortem inflammatum, et maculis gangrenosis notatum vidit *Home*: ex quibus concludere fas est vim irritantem Colchico inesse, qua textus organicos, ubi paullo majori dosi propinetur, vel aliis medicamentis haud temperetur, inflammare valeat; quamobrem vigente phlogosi gastro-enterica, ab ejus usu esse abstinendum: caeterum auctorum observata id suadere, vim ejus dinamicam praesertim cum in sanguinis circuitum migraverit, deprimentem esse, et quidem *Brandes*, *Willis*, *Carminati*, *Bruschi*, *Folchi*, aliique inter medicamenta infirmantia Colchicum collocaverunt.

IX. Publici juris libellum fecit *Stork* anno 1763, in quo hydropis et asthmatis observationes attulit oxymellis Colchici ope fauste sanatorum. *Collinius Storkii* exemplum secutus Colchicum adhibuit, neque hydropi dumtaxat mederi scripsit, sed viscerum obstructionibus, aliisque morbis. Graves peripneumonias serosa effusione in thoracis cavitate conjunctas, catarrhos, asthma, hydropes partiales et universales statu phlogistico stipatos Colchici ope, se ad

resolutionem perduxisse narrat *Carminati*, qui praeterea constituit Colchicum inter, et Scillam haud leve intercedere discrimen, Colchicum scilicet phlogisticis morbis accommodari, in quibus vel inutilis, vel noxia, ipso tradente, est Scilla. Caeterum in eo consentire videntur auctores, diuretica facultate Scillam Colchico antecellere, frequentius praeterea, et facilius a Digitali, quam a Colchico hydropes resolvi.

X. Sed enim Colchicum aliis morbis mederi traditum est. Frequenti usu venit paucis abhinc annis in Anglia vinum Colchicum in podagra, arthritide, et rheumatismis, atque tot observationibus *Want*, *Home*, *Willis*, *Lignum*, *Locher-Balber*, *Armstrong*, *Chelii*, *Campagnani*, *Bart*, *Bartley*, *Beng*, aliorumque comprobatum est memoratos morbos Colchici usu radicitus sanari potuisse, ut de ejus in ipsis efficadia non amplius liceat dubitare. Atque *Haden* observationibus, quas habuit in arthriticis, aliisque aegrotantibus illud confirmavit; quod superius attulimus ex *Carminati* Colchicum systematis vascularis energiam temperare; idemque auctor narrat, se minus iterare debuisse venae sectiones illis in morbis phlogisticis, in quibus Colchici pulverem sulfate potassae temperatum adhibuerat. *Chelius* autem, atque *Lobstein* urinas eorum, qui Colchico utuntur,

maiorem acidi urici proportionem referre observarunt, unde rationem quadantenus reddi posse arbitrati sunt levaminis, quod ex Colchico percipere solent podagrici, et cur ex ejusdem pharmaci usu ipsemet tophi articulationum evanuerint. Caeterum hoc remedium, utpote magna efficacia praeditum, prudenti manu in morbis phlogistica diatesi stipatis in quibus praestat, propinandum erit.

XI. Semina Colchici ad bulbos efficacia accedere, vel ad eos aequiparari posse traduntur: id *William* aliorumque observationes suadere videntur; hanc vero utilitatem semina prae bulbis referunt, ut tutioris, et ejusdem semper efficaciae praebeant medicamentum: bulbi ut vidimus, pro vario anni tempore variant, atque vetusti inutiles sunt.

XII. Credibile autem est *Kratochwill*, *Hallerum*, *Paysse*, et *Orfila*, qui Colchici bulbos inefficaces dixerunt, effoetos eos, nec vigentes in usum traduxisse.

XIII. Flores Colchici recentes bulbis, et seminibus mitiores in iisdem morbis, in quibus haec praestant, persaepe adhibitos legimus a *Copland*, *Frost*, *Burchell*, aliisque.

Folia Colchici, animalibus infensa, hactenus adhibita non sunt.

XIV. Praescribitur pulvis bulborum, vel se-

minis Colchici a gr. ij ad viij partitis vicibus in die pulvere gummi arabici, saccharo, aliisque temperatus, vel in pilulis.

Acetum Colchicum Pharmacop. Taurin. bulbi Colchici unc. j in aceti libr. j lege artis paratum a drach. sem. ad drach. j praescribi potest in opportuno vehiculo. Dosi duplo, triplove majori ac Acetum praescribitur Oxymel Colchicum ejusdem Pharmac.

XV. Vinum Colchicum Pharmacop. Anglic. aequali proportione vini hispanici, et bulborum recentium Colchici paratur. Bulbi Colchici incisi per dies sex macerantur in vino sub temperie 40, aut 50 grad. therm. Reaumur: tum vero expresso magmate liquor per chartam traiectus in vasis ad usum servatur: adhibetur autem a guttis xx ad LX in opportuno vehiculo.

Drachmis duabus seminum Colchici maturorum, et integrorum in vini hispanici unc. vj per dies sex digestorum, expresso deinde magmate, et liquore per chartam trajecto, paratur vinum Colchicum *William* a drach. sem. ad drach. ij praescribendum.

Eodem fere modo tinctura alcoholica Colchici *Armstrong*, et tinctura vinosa-alcoholica *Locher-Balber* parantur.

SYMPTOMATOLOGIA ET SEMIOTICA

De signis futurae crisis.

I. Morbos quosdam vel methodo erronea tractatos ad optatum tamen exitum quandoque pervenire, quotidiana praxis evincit.

II. Vis activa viventibus propria in caussa est bene saepe, cur salutari conamento ad optatum finem morbi contendant.

III. Vitalis efficientia nunc luxuriantes in morbis vires infringit, nunc eas nimium fractas erigit, nunc perturbatas ad naturalem rythmum restituit.

IV. Motus in vivente apparentes, quibus fit, ut morbosa pathemata dispareant, a vitali efficientia provocantur.

V. Morbus nunc citissime solvitur, nunc lente, hoc est per *crisim*, vel *lysim*.

VI. Crises in morbis evenientes coctae peccanti materiae perperam tributae.

VII. Crises fiunt profluentibus sanguine, sudore, urinis, alvo, vomitu, vel et per metaschematismum.

VIII. Licet memoratae frequentiores sint viae,

per quas crises eveniunt; alias attamen saepe deligere naturam, per quas easdem moliatur, indubium.

IX. Crisis futura per signa sat constantia non raro significatur.

X. Signa crisim quandoque significantia, alias morbi incrementum denotant; hic ubi apparuerunt utrum critica, an symptomatica sint, omni sollertia inquirendum.

XI. Critica haec probabilius erunt, quum a salutari naturae virium reactione, morbo jam remittente, paullo post cessante producta videantur.

XII. Crisim quoque ostendent natura humorum magis elaborata, et facilis eorundem excretio cum levamine statim manifesto.

XIII. Signa crisium illac generatim se praebent, ubi opportuniores sunt viae, in quas natura sponte inclinat; hinc quamdam corporis dispositionem sequuntur.

XIV. Fallacia sunt illa, quae incongruo tempore, modo et loco accidunt; siquidem natura sapiens est morborum medicatrix.

XV. Quandoque symptomatica cum criticis miscentur, dum in conflictu adhuc sunt vires morbi cum illis naturae; tum sedulo perspiciat medicus, quonam temperanda, ac quonam fovenda.

INDEX

EX PHYSIOLOGIA

EX MEDICINA THEORICO-PRACTICA

EX MEDICINA FORENSI

Theses ex Commentariis excerptae.

EX PHYSICA

EX MATERIE MEDICA

EX INSTITUTIONIBUS MEDICIS

V. ab Excell.mo D. D. Archiep.o Taurinensi Deleg.
Fr. DVM. MASSOLA Ord. Praed. et SCHIARA.

V. † ALOYSIUS Archiep. Taurin.

V. BELLINGERI Praeses.

V. SACCHETTI a Consil.

V. BERTINI a Consiliis.

Imprimatur :

MALASPINA Moderator.

		ERRATA		CORRIGE
Pag. 15,	*lin.* 31	— Samedi 28	—	Samedi 21
» 26	» 4	— infarctus	—	infartus
» 88	» 27	— Paris 1820	—	Paris 1830
» 90	» *ult.*	— vol. 9	—	vol. 2